10

CONSIDERATIONES
CIRCA
EXACTIONEM
FORMULÆ
ALEXANDRINÆ,

Variaſque de hoc argumento difficultates, ac pugnantes inter ſe opiniones

ET

OSTENSA VIA PACIS

Conformiter ad mentem Summorum Pontificum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DELPHIS,
Apud HENRICUM VAN RHYN.
M. DCC. XI.
Cum Approbatione.

CONSIDERATIONES

Circa Exactionem Formulæ Alexandrinæ, variasque de hoc argumento difficultates, ac pugnantes inter se opiniones, &c.

I.

Ecclesiam Catholicam ad Pelagii Castra defecisse dictitant Acatholici. Amarulentas eorum insultationes incauti egregiè juvant complures Molinæ Discipuli.

NIhil hodiè invidiosiùs Ecclesiæ Catholicæ objectant Acatholici quàm quòd SS. Pauli & Augustini de medicinali gratia Christi doctrinam abjecerit, & ad Pelagianismum, aut certè ad Semi-pelagianismum palam defecerit.

Illorum haud postremus D. Melchior Leydeckerus in Epistola Dedicatoria Libri, cui titulus: *Historia Jansenismi*, quòd *Protestantes, maximèque Reformati* Româ, ut loquitur, fue-

rint egressi, hanc profert causam: *Nempè*, inquit, *insolitos ibi Pelagianos errores ferre nequibant.* Et in ejusdem Operis Præfatione, Ecclesiam Romano-Catholicam ferociter lacessit his verbis: *Resipiscere non potest dato repudii libello, atque adeo Dei judicio ruit, ruetque in pejus consilio dominantium Jesuitarum, qui Pelagianismi errores audaci animo renovarunt.* Tum addit aliud longè falsissimum: *Nec enim aliàs Romana Religio adversus Protestantes defendi poterat.* Et hinc manifestum esse insolenter contendit: *Quàm justus fuerit Patrum egressus ex Babylone, quando auditum ibi aliud Evangelium, quod Christianæ aures non ferant, nisi amorem veritatis & libertatis amiserint.* Ita Leydeckerus.

Pergit porrò Cœtum Catholicum hodieque calumnari, quòd, ipso judice, superba Pelagianorum Dogmata apertè sequatur. Unde si quis ex Nostris de Ecclesiæ rebus cum Viro forsan agit, statim audire cogitur: *Ecclesia vestra Pelagianizat.*

Non latet ipsum, egregiè se hac in parte juvari à PP. Jesuitis, aliisque Molinæ Sectatoribus. Hi namque doctrinam de Gratia ex se efficaci, prout à SS. Augustini & Thomæ Discipulis communiter traditur, passim venditant, esse Hæresim à Concilio Trident. contra istius tempestatis Novatores dilucidè proscriptam; & à Summis Pontificibus in Libro Cornelii Jansenii Iprensium Episcopi sæpius condemnatam.

Gratiam physicè Prædeterminantem apertè jam & impunè clamitant, esse commentum novum à Calvino excogitatum, atque à Tridentinis Patribus directè rejectum & Anathemate

con-

confixum. Ita Scriptor quidam *de Mente Concilii Tridentini circa Gratiam physicè Prædeterminantem*, qui se vocat libetium Gratianum: *Ego nullo contentionis studio*, inquit homo, qui ne hoc ipsum quidem novit, quid sit contendere adversus veritatem, Diss. 1. cap. 1. *sed solius amore veritatis, re hâc diligenter examinatâ existimo Gratiam à seipsa efficacem novum esse Lutheri Calvinique commentum, & ad illorum tempora in Ecclesia inauditum, oppugnatum ab Academiis & Ecclesiæ Doctoribus, tum ante, tum post Synodum collectam; & à Concilio reprobatum. Quòd verò aiunt Calvinum inde deduxisse consequens, hominem jam necessariò agere vi gratiæ, ostendam non aliam ipsum, quàm consequentiæ necessitatem agnoscere*; consequentis *verò*, *ut aiunt*, *necessitatem repudiare. Hanc verò consequentiæ necessitatem ex Gratia physicè prædeterminante legitimè deductam fatentur ejus Assertores. Ex quo jam illud consequitur: vel nihil Calvinianæ Doctrinæ damnatum à Concilio, quod nemo dixerit*; *vel* GRATIÆ À SEIPSA EFFICACIS DOGMA REPROBATUM. Totum illud opus eò tendit, ut quoquo modo probetur, Doctrinam de Gratia per se efficaci à Calvino contra priorum sæculorum fidem fuisse adinventam, non alio quàm quo à Thomistis sensu defensam, eodemque sensu à Concilio Tridentino proscriptam, & à Theologis, qui post illud Concilium scripserunt, oppugnatam. *Primò est manifestum*, inquit Cap. 4. pag. 40. *opinionem de Gratia à seipsa efficaci fuisse à Tridentinis Patribus diligenter examinatam, atque rejectam. Secundò eos qui post Concilium Tridentinum*

tinum scripserunt, nullo modo, admissâ Gratiâ efficaci, oppugnasse consequentiam aliquam, quasi hanc solam; à Calvino malè collectam Concilium condemnaverit; sed ipsam efficacem à se Gratiam directè aggressos, quasi definitionibus Concilii repugnantem. Mox capite 6. pag. 56. ostendere conatur, nihil prorsus à Calvino è Gratia per se efficaci consequens fuisse deductum, quod ultrò non admittant Scholæ Thomisticæ Doctores; *Calvinus*, inquit inter alia, *profitetur nostræ voluntatis actus nec suapte naturâ necessarios esse, nec esse item necessarios, si ad voluntatem nostram, causam eorum proximam referantur; sed eo respectu manere contingentes: denique nec* absolutam, *nec* consequentis, *ut aiunt, necessitatem habere..... Eumdem prorsus contingentiæ & necessitatis modum uti legitimum & Catholicum Patroni Gratiæ physicè prædeterminantis communi conspiratione obtrudunt.* Quod ubi Dissertationis Auctor adstruere conatus fuit adducto quodam Dominici Bannes testimonio, à quo nequaquam dissentire Calvinum contendit, removet omnem quorumdam Calvini dictorum ambiguitatem, voces duriores benignè explicat, textus obscuros explanat; demum concludit cap. 7. pag. 56. *Sufficere hæc posse, ut quibus superest aliquid candoris & eruditionis, sine ambiguitate perspiciant; ob id Calvinum damnatum esse, ob quod retinendum non dubitavit ab Ecclesia facere secessionem,* SCILICET OB DOGMA GRATIÆ À SEIPSA EFFICACIS.

Eamdem de Gratia per se efficaci doctrinam à Summis Pontificibus in Libro Cornelii Jansenii proscriptam intrepidè asserunt Doctores Moli-

Moliniani. In Libello edito an. 1681. & inscripto: *Doctrina Theologica per Belgium manans*, &c. p. 1. cap. 2. in Observatione præambula, ubi agunt de Propositione secunda ex quinque famosis: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*, nihil circa modum resistendi interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ tradi contendunt à Gratiæ per se efficacis Propugnatoribus, quod non idem eodem prorsus sensu tradiderit in suo Libro Jansenius: " Quoniam " verò, inquiunt, damnata est Propositio in " sensu *Jansenii*, adnotandum est primò, quòd " resisti interiori Gratiæ ex mente ipsius nihil " aliud sit, quàm voluntatis pervicaciâ fieri, ut " non sequatur ille effectus, ad quem Gratia à " Deo datur: hoc enim contendit unum, om- " nem Gratiam in hoc statu eum inferre effe- " ctum, ad quem à Deo datur (absolutâ sci- " licet voluntate.) Hoc explicat lib. 2. *de Gratia* " *Christi* toto ferè capite 27. Sic incipit: *Nec verò* " *moveat quemquam, quòd constet, multos divi-* " *nitùs mente collustrari..... qui tamen ab ejus in-* " *terna suasione, & inclinatione* DISSENTIUNT, " *ut propterea falsum patet, Gratiam in eo cui* " *datur, semper operari effectum*, OB QUEM " DATUR. Mox enumerat effectus varios, *De-* " *siderium perfectum, Velleitates, Complacen-* " *tias.* " Tum sic prosequuntur: " In verbis " *Jansenii* relatis notanda vox *dissentiunt*. Hac " ille aut simili utitur sæpiùs, quàm voce *resi-* " *stere*: unde & patet vocem *resistitur*, in Pro- " positione damnata significare actum liberum " *dissentiendi*. " Scilicet in sensu Molinistico: nam alium sensum, quo in sententia de Gratia

per

per se efficaci in hoc etiam statu naturæ corruptæ *dissentitur* interiori Gratiæ, nusquam, juxta ipsos Molinistas, negavit Jansenius, imò disertè asseruit. " At verò, inquiunt ibidem, adversus delectationem Gratiæ insurgente majore delectatione concupiscentiæ, desinet quidem illa gratia esse efficax alicujus effectûs: sed neque erit sufficiens ad effectum eundem: erit tamen sufficiens, simulque efficax, respectu quarumdam velleitatum, & complacentiarum, ut sæpè docet ille. Paucis rem explicuit lib. 8. *de Gratia Christi* cap. 2. col. 819. *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram superat. Quòd si contingat, alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter umquam volet quod volendum est.* " Sic illi Gratiam à se efficacem ab Ecclesia proscriptam esse confidenter disseminant. Idem eorum commentum apertè liquet ex eodem isto libello, in quo variis locis multas citant Propositiones, tamquam Pontificum Decretis repugnantes, quas tamen longè certissimum est, non alio sensu ab Auctoribus Catholicis fuisse propugnatas, quàm Gratiæ per se efficacis. Ubicumque cernunt Gratiam à se efficacem, cernere se, turbato sic eorum cerebro, putant condemnatam ab Ecclesia hæresim. Hinc ab annis aliquot in Academia Lovaniensi, ubi cum aliquo S. Augustini Discipulo fortè res eis erat, toties auditi insulsi isti clamores : id etiam tenuit Calvinus ; id haud negavit Jansenius ; discernas Te à Jansenio ; si ille Hæreticus, tu non potes esse Catholicus.

Famosa

Famosa Lovaniensis Censura quoties à Molinæ Discipulis vexata ! jam triginta ferè anni sunt, quòd quidam Ulicus Jonson scriberet: *Mihi apparet manifestum, omnes 5. Propositiones damnatas in sensu Jansenii, Censurâ illâ atque justificatione contineri minimè obscurè.* Hominis ignoti petulantiam S.Sedi denuntiandam censuit Facultas Theologica Lovaniensis, scriptis ad Innocentium XI. litteris 28. Maii 1682.

II.

Doctrinam de Gratia per se efficaci nunquam proscripsit Ecclesia.

SIc illi proscriptam esse ab Ecclesia Gratiam per se efficacem, semper & ubique vociferantur. Sed multùm fallunt, aut falluntur cum Leydeckero Molinistæ. Doctrinam SS. Thomæ & Augustini de Gratia Salvatoris nusquam proscripsit Ecclesia. Econtra centies approbavit. Eam constanter supposuerunt Patres Concilii Tridentini. Solas condemnarunt hæreticas conclusiones, quas nonnulli inquieti homines (quicumque tandem illi essent, eorum enim nomina reticêre prudenter voluerunt) ex ea falsò colligebant, & mordicus tuebantur. Has inter conclusiones erat, quòd homo non posset Gratiæ dissentire, si vellet; sed velut inanime quoddam nihil omnino ageret, merèque passivè se haberet.

Quantum ad Innocentii X. aliorumque Summorum Pontificum Bullas, quibus condemnarunt quinque famosas Propositiones, intrepidè assero, falsissimum esse, quòd per eas condemnare

nare voluerint doctrinam SS. Thomæ & Augustini de Gratia ab intrinseco efficaci. Est id à mente eorum alienissimum. Patet, ut cætera nunc omittam, ex sententia quam de quinque famosis Articulis habuit, ac teste Goneto, edixit Alexander VII. Dum summi Pontifices condemnarunt quinque Propositiones tamquam hæreticas, ex Libro Cornelii Jansenii excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, condemnare intenderunt certam quamdam ac determinatam doctrinam hæreticam; quam etiam in eo libro ad mentem Auctoris contineri existimârunt. Hunc solum sensum hæreticum à Summis Pontificibus intentum verè proscripsit Ecclesia. Jam autem abhorret à vero, quòd doctrinam de Gratia per se efficaci, prout hæc in Scholis & Academiis Catholicis, inque ipsa adeo Urbe passim traditur, proscribere intenderint Romani Pontifices. Proinde hæc Doctrina nusquam proscripta est; numquam ab Ecclesia proscribetur. Quos in quinque Propositionibus Ecclesia condemnavit errores, pene omnes reduci possunt ad Doctrinam de Gratia *necessitante*. Ita communiter docent ipsi Episcopi, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei. Jam verò toto cœlo differt Gratia per se efficax à Gratia *necessitante*, sive evertente humanam libertatem. Igitur dogma de Gratia per se efficaci minimè est condemnatum.

Verùm, reponet forsan aliquis, Jesuitæ, aliique Molinistæ docent, non tam ovum ovo esse simile, quàm Gratiam per se efficacem Gratiæ necessitanti, & liberum hominis arbitrium auferenti. Resp. Multos id contendere ego non inficior.

cior. Nimis multi sic hodiè Gratiam Salvatoris directè & adversâ fronte insectantur. Sed quid hoc ad rem ? An Molinistarum centies confutatæ, ut ne dicam à variis Episcopis condemnatæ opinationes sunt regula Fidei Catholicæ? Quis mortalium sequi cogitur ineptas eorum falsasque de Gratia, de Necessitate, de Libertate ideas ? Benè valeant illi cum suis hesternis commentis in Molinæ cerebro, ipso Molinâ gloriante, recoctis.

At iterum declamant cum Leydeckero Molinistæ: Jansenius in suo Libro non docuit, nisi Gratiam per se efficacem : atqui Summi Pontifices condemnârunt quinque famosas Propositiones in sensu, quem ille Auctor in suo Libro expressit & intendit : ergo Summi Pontifices condemnârunt Gratiam per se efficacem. Resp. Summi Pontifices id condemnârunt, quod condemnare intenderunt. Jam verò intenderunt condemnare certam ac determinatam, uti diximus, Doctrinam hæreticam, quam in Cornelii Jansenii Libro tradi crediderunt. Certum porrò est, quòd nullatenus intenderint condemnare SS. Augustini & Thomæ Doctrinam de Gratia ab intrinseco efficaci.

III.

Monstri simile esse videtur, quòd Libro Jansenii non aliam, quàm Gratiæ per se efficacis Doctrinam tradi, palam & impunè dictitent Molinistæ, & quòd interim plures S. Augustini Discipuli non sinantur de eo vel dubitare.

SEd aliud observare hic liceat. Molinistæ nervis omnibus contendunt, in Jansenii Libro non doceri nisi Gratiam per se efficacem. Quid ergo tam vehementer hodiè divexantur quidam alii Theologi, ejusdem hìc cum illis sententiæ? Quid adeò discruciantur ob id, quòd saltem dubitare se asserant de eo, quod complures Molinistæ habent pro indubitato?

Ab annis modò ferè sexaginta tot fuerunt in Orbe Catholico Jesuitæ tot alii Molinistæ, forsan simul aliquot milliones (numera Molinistas, si potes) qui censuerunt, & palam docuerunt, in Libro Jansenii non aliam Doctrinam quàm Gratiæ per se efficacis tradi. Idem post exactum totius Libri examen crediderunt multi Viri Ecclesiæ addictissimi, Seculares, Regulares, doctrinâ præcellentes, pietate conspicui, & primi ordinis ingenia. Id hodièque vel certò putant, vel saltem opinantur non pauci SS. Thomæ & Augustini Discipuli. Sed cur, amabo, his crimini vertitur, quod in tot fortè millionibus Molinistarum tot annis toleravit, ac etiamnum tolerat Ecclesia?

Dicetur

Dicetur forsan: Jesuitæ, omnesque ejusmodi Molinistæ lubenter subscribunt Formulario Alexandri VII. & sic condemnant Libri sensum ab Auctore intentum, qui juxta ipsos continet Doctrinam de Gratia per se efficaci. Alii verò refugiunt, saltem post Bullam Clementis XI. quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, illi Formulario subscribere. Resp. Judicet Orbis universus, quinam Theologi Ecclesiæ menti se magis conforment; an Molinistæ, qui palam interposito etiam juramento subscribentes Formulario, profitentur, se non aliam in Jansenii Libro Doctrinam condemnare, quàm Gratiæ per se efficacis; an verò prætensè-Jansenistæ, qui eamdem dicto Libro Doctrinam tradi cum Molinistis bonâ fide credentes, aut saltem de hoc addubitantes, solâ Sacramenti Religione deterriti subscribere reformidant? Si Ecclesiæ Romano-Catholicæ mens est, ut per Formulare Alexandri VII. proscribatur SS. Thomæ & Augustini de Gratia Christi Doctrina, fidenter assero; vicit Leydeckerus: At simul aio; non est illa Ecclesiæ mens; ergo non vicit Leydeckerus.

Rursus forsan opponetur: suam circa sensum Jansenii sententiam deserere deberent prætensi-Jansenistæ. Resp. Facerent id perlubenter, si sat solida mutandæ sententiæ proferrentur argumenta. Sed jam quæro: quare tot Jesuitæ, totque alii Molinistæ non compelluntur sententiam hìc suam mutare? Hi clamant, nequidquam reclamante plurimorum Episcoporum auctoritate, certissimis documentis sibi constare, Jansenium in suo Libro non tradidisse, nisi Doctrinam de Gratia per se efficaci, prout hæc à S. Au-

gustini

gustini Discipulis solet explicari. Cur ergo ob easdem Molinistarum rationes aliis nefas erit de eo saltem dubitare? Mutent semel Molinistæ sententiam, mutent linguam, & tunc veniatur ad prætensè-Jansenistas, regulis Fidei, rectæque rationi obsecuturos.

Hoc ego interim rebus, ita manentibus, constanter assevero, ad veritatis regulas, ad Christianæ sinceritatis leges, ad ipsam quoque Ecclesiæ mentem magis conformiter procedere illos S. Augustini Discipulos, qui credentes, aut certè opinantes, Cornelii Jansenii Libro non aliam quàm Gratiæ ab intrinseco efficacis tradi Doctrinam, Formulam hodie subscribere verentur, quàm illos omnes Molinistas, qui, cùm pro certo habeant, illam solam, toto eo Libro præcipuè tradi Doctrinam, audacter tamen subscribunt, ac per Sancta quæque dejerantes apertè profitentur, cum incredibili Acatholicorum scandalo, se condemnare Doctrinam de Gratia per se efficaci. Si cum Theologis Molinistis hanc Doctrinam oporteat abjurare, quis tandem modus reducendi Acatholicos ad Gremium Ecclesiæ? Invictis hi argumentis demonstrabunt, eam Doctrinam esse certissimò Doctrinam S. Augustini, quam toties tam solemniter comprobavit Ecclesia; & proinde si moderna Ecclesia illam ipsam abjecerit, defecisse eam plenis buccis vociferabuntur. Reponent contra Molinistæ hesternas suas, vel ex officina Massiliensium depromptas de Gratia & Libertate ideas. Et qualis hujus pugnæ esse poterit exitus, nisi valdè inauspicatus? Molinistæ palam dictitant, Doctrinam de Gratia per se efficaci esse proscri-

ptam

ptam in Concilio Tridentino, & per Summos Pontifices in Libro Cornelii Jansenii: Ergo, mox inferet unus Leydeckerus, confecta nobis res est; Ergo Ecclesia vestra fidem Apostolorum de Gratia Salvatoris condemnavit; ergo prorsus à veritate defecit.

IV.

Ad Ecclesiæ gremium redeuntes Acatholici, bonâ fide cum innumeris Molinistis, aliisque, existimantes, Jansenii Libro non tradi, nisi doctrinam SS. Augustini & Thomæ de Gratia per seipsam efficaci, non compelluntur ad Subscriptionem Formulæ Alexandri VII. Et licet fortè interdum divexarentur, non propterea licitè ab Ecclesiæ unitate manerent separati. Sed vel hinc liquet quòd facilitandæ Acatholicorum Conversioni, ac restituendæ paci Ecclesiæ conducibilius foret, non exigere Subscriptionem Formulæ, nisi conformiter ad Breve Innocentii XII. ad Episcopos Belgii 1694.

SEd quid interim ipsi jam respondendum Leydekero, cum Jesuitis, aliisque Molinistis, asserenti in Libro Jansenii non tradi, nisi

Doctri-

Doctrinam S. Augustini de Gratia per se efficaci? Resp. Hanc sententiam non magis deponere tenetur Leydeckerus, quàm deponere teneantur tot ubique terrarum Sectatores Molinæ. Sed potestne ita sentiens licitè jam subscribere famoso Formulario? ℞. Nequaquam. At securus sit Leydekerus. Numquam hactenus à redeuntibus ad Sinum Ecclesiæ petita fuit Alexandrinæ Formulæ subscriptio. Non petetur etiam ab ipso. Poterit esse valde bonus Catholicus, tametsi nec signet, nec signare velit Formulare.

At, inquiet Leydekerus si non signem, à Molinæ Sectatoribus divexabor quantum satis. Resp. Id licèt supponeretur, vana foret Leydekeri trepidatio. Nullæ enim forsan subeundæ tribulationes possunt esse sufficiens causa manendi extra veram Ecclesiam Dei.

Sed iterum reponet: Ipsi Episcopi multis locis eos omnes, qui Formulæ ad mentem Clementis XI. subscribere non audent, persequuntur tamquam filios inobedientiæ, rebelles, pervicaces: ergo & capiti meo similis imminet tempestas. Resp. Quòd sola Ecclesia Romano-Catholica sit vera Jesu Christi Ecclesia, à cujus Unitate numquam liceat se separare, non est hujus loci demonstrare. Id modò tamquam sæpius invictissimè probatum supponemus. Hoc autem semel concesso, iterum constanter assero, separandi se ab Ecclesiæ Unitate, vel extra illud Unicum Christi Ovile pervicaciter errandi nulla potest umquam haberi justa ratio. Et manifestè non illa quòd quis in ea pati aliquid forsan deberet propter justitiam & veritatem. Suis Christus Discipulis nusquam promisit hujus mundi

mundi blandimenta & favores. Econtrariò persecutiones eis prædixit, pressuras, tristitias, odia. Ipsos quoque Ecclesiæ Principes ab adulatoribus, à falsis devotis, ab ambitiosis, aliisque talibus per subdolas informationes posse falli nemo Catholicorum dubitat. Imò illos ipsos adversus veritatem, præsertim quæ circa facta versatur, posse esse præoccupatos, & homines cum sint, affectibus vitiosis posse abripi ad Viros bonos contra Ecclesiæ Regulas temerè divexandum in confesso est. Jam verò quæcumque persecutionis procella animo verè Christiano tolerata adeò nihil obest homini, ut contrà maximè profit, si Evangelio credimus. Nulla igitur forsan capiti impendens tempestas remorari hominem salutis suæ cupidum debet ab ingressu in Ecclesiam Dei.

Cæterùm, ut candidè dicam, quis nòn videat, Acatholicorum conversioni gravissimum hìc poni obicem, eumque ab Ecclesiæ spiritu remotissimum. Donatistis olim ad Ecclesiam redeuntibus suus reservatus fuit honor, etiam Episcopatûs, teste S. Augustino Epist novæ Edit. 185. aliàs 50. ubi n. 47. sic loquitur: *Qui* Episcopi Africani) *correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt, non quòd etiam foris ab Unitate Corporis Christi possent habere Spiritum Sanctum; sed maximè propter eos, quos foris positi possent decipere, & à susceptione illius muneris impedire: deinde ut etiam ipsorum infirmitas leniùs excepta intus sanabilis fieret.* Quantum conversionis difficultati mitigandæ adhibitum studium! Hodiè verò, si quis fortè ad Ecclesiam redire cogitet,

factâque publicâ Fidei professione Hæreses omnes sincerè condemnet, is timere cogitur, ne non tantùm omni prorsùs Sacerdotio censeatur indignus; sed etiam ne carceres, exilia, aliave talia gravissima mala pati compellatur, ab ipsis quoque Ecclesiæ Principibus, idque ob hoc unum, quòd cum permultis Viris undequaque doctissimis, cumque ipsis passim Molinistis bonâ fide existimet, Jansenii Libro non tradi ad mentem Auctoris, nisi doctrinam SS. Augustini & Thomæ, imò ipsius Apostoli de Gratia per se efficaci; & quòd ita animo comparatus, non ausit interposito juramento eam ipsius Ecclesiæ doctrinam in Jansenio cum Molinistis abjurare.

Hoccine est infirmitatem hominis excipere *leniùs*, an verò durissimè? Si quis modò contendat, nihil omnino ab Ecclesiæ præpositis passuros redeuntes, quin etiam omni eos honore dignos reputandos; primò, quis hactenus eos rerum harum reddidit securos? Secundò, quæro; cur igitur tot alii præstantes in Ecclesia Viri, idem prorsùs sincerè credentes, idem jurare iisdem ducti motivis formidantes habentur, velut *omnium peripsema usque adhuc*?

Ego certè, tum ob hæc, tum ob alia, de quibus infrà, constanter assero, & facilitandæ Acatholicorum conversioni, & restituendæ paci Ecclesiæ, conducibilius fore, si Formulæ Alexandrinæ Subscriptio à nullis exigeretur, nisi ab illis, juxta Breve Innocentii XII. ad Episcopos Belgii anno 1694. qui *ausu temerario prædictas quinque Propositiones publicè vel privatim, tam in Scholis, quàm in Concionibus, verbo vel scripto defen-*

defendere præsumpserint, servato tamen juris ordine.

V.

Variis aliis argumentis improbatur non explicata Formulæ Subscriptio: Quòd nulli bono sit, de re nihili sine fine disputare: Quòd de Libri Janseniani sensu tot sint opiniones quot capita: Quòd inter Theologos minimè conveniat, quid præcisè damnare, quâ mentis certitudine debeat subscribens Formulario: Quòd circa motivum, ex quo vel possit, vel generaliter debeat procedere assensus in condemnationem Libri Janseniani, variæ sint & inter se pugnantes opiniones.

QUid hocce Pontificio Mandato sapientius? Cur non sit satis ad salutem consequendam, omnes Hæreses ab universa Ecclesia condemnatas ubicumque reperiantur sincero animo rejicere, idque eisdem omninò verbis, quibus Ecclesia eas cupit rejectas? Dum unà tamen de facto novo, merè critico, obscuróque religiosum servetur silentium.

Dei simul & hominis Filium fide satis integrâ credit is Christianus, qui omnes circa Incarnationis Mysterium hæreses mente purâ simplici-

 que

que condemnat, licet de quodam circa illud Facto non revelato, v. g. an Honorius I. qui à Sexta Synodo condemnatus fuit Monothelitarum infectus Hæresi, quam in Epistolis ipse suis docuisset, dubitet; imò contra illam Synodum apertè sentiat, nullumque adeo hìc fervet religiosum silentium. Cur igitur nequeat de Salvatoris Gratia piè religiosèque sentire is, qui omnes contra eam exortas Hæreses propalam, iisdemque conceptis verbis detestatur, & simul circa Factum Honoriano prorsùs simile, ne suis Superioribus contradicere quoquo modo videatur, religiosum servat silentium?

Cui bono, ob Factum Jansenii, id est, ob rem, si quidem in se spectetur, nullius momenti, cum tanto Acatholicorum scandalo, penè ubique terrarum perturbare Ecclesiam Dei? Nullius momenti, aio, esse hanc quæstionem. Quid enim ad Fidei normam, quid ad morum regulas efformandas facit, an certa Hæresis quodam Libro ad mentem Auctoris tradatur, modò Hæresis ipsa semper & ubique damnetur, & semper bonâ fide, ob non contemnendas rationes salvem dubitetur, an Hæresim reverà contineat vexatus Liber? Iterum, quæso, occurrat Factum Honorii. Quid nunc magnopere interest Ecclesiæ, dubitare, num hic Pontifex in suis Epistolis verè docuerit, unam tantum in Christo fuisse voluntatem, modò quis certâ fide credat, duas cum habuisse, humanam scilicet & divinam? Vidimus ante, quòd ipsum Joannem Calvinum incipiant modò benignissimè interpretari Molinistæ, apertè contendentes, illum Hæresiarcham circa Gratiæ efficaciam, non aliud sensisse, quàm quod

quod hodieque passim sentiunt SS. Augustini & Thomæ Discipuli : Quid, amabo, esse poterit mali, si quis Episcopi Catholici per Scripta sua contra Hæreses illustris, Librum à permultis Viris gravissimis, præcipuorum etiam Ordinum Religiosorum Religiosis doctissimis approbatum, bonâ fide paulò benignius conetur exponere, id est, ostendere, quòd circa ipsum Calvinum agunt Molinistæ, quòd omnibus circumstantiis attentis tantùm docuerit Gratiam à seipsa efficacem ? Quid mali, si quis de eo saltem addubitet ?

Quis sit Libri Jansenii sensus ab Auctore intentus, hactenùs inter Theologos non convenit. Disceptatur acerrimè. Complures olim contenderunt, hodieque contendunt, Jansenium renovasse errores Calvini de impossibilitate Præceptorum Dei. Multi hoc tempore Episcopi existimant, eum docuisse Gratiam necessitantem. Quidam negant, eum admisisse Gratiam Thomisticè sufficientem, & propterea putant à Summis Pontificibus condemnatum. Jesuitæ, aliique Molinistæ non pauci volunt, ut ante vidimus, Jansenium in suo Libro non docuisse, nisi Gratiam per se efficacem, quam illi vocare amant necessitantem, & in Joanne Calvino ante damnatam. Plerique, quos inter & illi, qui Formulæ Alexandrinæ etiam cum juramento subscribunt, quis ipsius Libri sensus sit omninò ignorant, adferentes quoque interdum pro ratione, se illum utpote prohibitum, numquam legisse.

Aliorum quorumdam hæc fuit sententia : Quòd subscribi Formulario possit, tametsi ne-

que quòd quinque Propositiones, singulariter quatuor ultimæ, totidem verbis Jansenii Libro contineantur, neque quòd Auctor Librum illum suum meditando & componendo, sensum earum hæreticum intenderit, Subscribens crederet, At regestum contra fuit, difficulter admodum, juxta hanc opinationem, intelligi posse, certam Hæresim quodam Libro contineri, in quo neque totidem verbis, neque quoad consilium, intentionem, & sensum Auctoris reperiatur; absonum videri & injustum, verbis atque expressionibus ab Auctore selectis ad exprimendam suam cogitationem, sensum tribuere diversum, vel forte contrarium illi, quem jure credas verum fuisse sensum, quem in Libri compositione intendit Auctor: Oportere abjurare Propositiones illas famosas, sic tamquam ex Libro Jansenii exceptas, idque disertè in sensu ab eodem Auctore *intento*: Hasce considerationes saltem postulare, ut clarâ explicatione præmissâ liqueat, quòd Formulæ Subscribens, damnansque Propositiones in sensu ab Auctore *intento*, non damnet eas in sensu quem Auctor, Opus suum elucubrando, reverà *intendit*.

Non minor fuit post Constitutionem Clementis XI. circa Formulare Alexandri VII. sententiarum varietas. Nonnulli dixerunt, Clementem XI. nihil præcepisse, nisi ut damnentur quinque Propositiones *in sensu obvio, quem illarum verba præ se ferunt*; proinde nihil esse difficultatis in subscribenda Formula. Ibat hoc directè contra mentem Pontificis clarè præcipientis, non modò illarum Propsitionum, sed

Jansenii

Jansenii Doctrinam hæreticam abjiciendam esse ac improbandam interposito jurejurando. Quorumdam sententia erat hujusmodi: *Obedientia, judicium, credulitas, interior obsequentia exigi non possunt, nisi super illis quæ definita sunt: atqui Factum Jansenii definitum non est: ergo super illo obedientia, judicium, credulitas, interior obsequentia non exiguntur per Constitutionem Clementis XI.* Hi, aliorum judicio, malè concludebant, quidquid sit de antecedente, reverà non exigi id, quod licitè sive jure exigi fortè non potest. Tertia opinio asserebat, jurando in Formulam Factum Jansenii nec affirmari, nec negari, sed tantùm supponi: id ab aliis rejectùm. Nam Pontifex, reponebant, disertè præcipit, ut Subscribentes *interiùs judicent Libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri.* Si interiùs judicent; ergo (se ponantur cavilli) Factum affirmant, præsertim cùm satis constet eam esse exigentium mentem. Quibusdam visum est, sufficere, quòd Libro Jansenii contineretur prima Propositio. Mox reclamarunt alii, asserentes, non sufficere, quòd fortè Propositionis termini eo Libro contineantur; sed insuper debere contineri sensum hæreticum. Reposuerunt prætereà, Clementem XI. non in prima dumtaxat, sed *damnatum in quinque præfatis Propositionibus Jansenianí Libri sensum..... ut hæreticum..... damnari debere.*

Objecerunt quoque, acerrimè hactenùs inter Theologos disputari, quis tandem sit Jansenianí Libri sensus ab Auctore intentus; inauditum autem in Ecclesia Dei esse, quòd filios suos cogat ad abjurandum sensum, nescio quem, indeterminatum, & quem, quisque sibi pro suo arbitrio, variis

per-

permotus motivis format. Fuerunt, & in ipsa quidem Urbe, qui dicerent, Formulario licitè subscribi posse ab iis, qui Jansenii Libro Hæreses contineri saltem opinantur, tametsi non sine formidine de opposito. Repositum fuit, quòd opinio propriè dicta moralem dubitationem non excludat; quòd excludi tamen eam mandet Pontifex, dum præcipit, oportere *interiùs judicari Libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri*. Replicatum quoque fuit, ejusmodi opinationem, quæ non involvit firmum de re judicium, esse & contra juramenti naturam, & contra exigentium mentem. Reperti fuerunt, qui sustinerent, illos, qui legerunt Librum Jansenii, & nihil aliud in eo invenire potuerunt, quàm orthodoxam doctrinam S. Augustini, idque pro indubitatio habent, licitè jurare non posse Formulam: *Si tamen juraverint*, addebant, *mendaces aut fallaces quidem sunt, sed non perjuri*. Sic illi, directissimè contra verba & mentem Clementis XI. asserentis, eos *Ecclesiam ipsam* JUREJURANDO DECIPERE, adeoque esse perjuros.

Quidàm alii contenderunt, Pontificum Decretis satisfacere eum, qui testaretur & fidem faceret, se & quinque propositionum sensum obvium, & ipsum Jansenii sensum prout eum Sedes Apostolica intellexit damnavitque, rejicere ac damnare. Et hi mentem suam sic explicando, quasi incertum relinquere videbantur, num is qui Formulario subscribit, debeat *interius judicare Libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri*. Vel certè pro iisdem habere videbantur hæc duo: judico, Jansenii sensum, prout eum Sedes Apostolica intellexit ac damnavit, esse hære-

hæreticum: &, judico, Libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri; vel, judico Libri Janseniani sensum ab Auctore intentum revera esse hæreticum. At regestum ab aliis fuit, quòd cum ipsa Clementis XI. *Dispositiva* alio passim sensu accipiatur, & attento obvio ac naturali verborum sensu accipienda videatur, nemo possit tutò juxta Clementinæ *Dispositivam* subscribere Formulario, nisi qui unà declaret, se illam *Dispositivam* eo sensu intelligere.

Varii Theologi, perpensâ diligenter Constitutione Clementis XI. sincerè fatentur, eos, qui cum Jesuitis aliisque Molinistis pro indubitato habent, Jansenii Libro non tradi, nisi doctrinam de Gratia per se efficaci, quæ certò damnari non debet, vel saltem de eo dubitant, non posse simpliciter, & nullâ datâ explicatione, sine perjurio subscribere Formulari Alexandrino. Qui tamen sic de Gratia Christi deque Jansenii sensu, bonâ fide judicant, *sincerè absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione* damnandum ab omnibus esse docent, sicut & ipsi palam damnant, omnem eum sensum & in quinque Propositionibus, & in Libro Jansenii, & extra eumdem Librum, ubicumque demùm occurrerit, quem S. Sedes ut hæreticum damnare intendit, atque ex mente & instituto Auctoris esse judicavit, nempe doctrinam de Gratia quæ agendi necessitatem imponat, noceatque libertati, & generatim circa exceptionem prorsùs ullam, quidquid Ecclesia reprobandum judicat.

Ex his luce meridianâ clariùs patet, minimè hactenùs convenire inter Theologos, quid præcisè condemnare in Jansenio, & quâ mentis persuasione

ſuaſione oporteat eum, qui Formulario Subſcribit.

Circa rationem, quâ moveri quis vel poteſt, vel debet, ad Formulæ tutò ſubſcribendum, in diverſas quoque itur Sententias. Nonnulli ex ipſius Libri textu atque contextu ſibi clarum eſſe dicunt, quòd Janſenius quinque Hæreſes docuerit. Sed quid hoc excuſat tot alios, qui Librum numquam legerunt? Præterea alii non minore præditi ingenio Viri, pietate conſpicui, qui ſolius veritatis indagandæ ſtudio Librum attentè perlegerunt, id ſaltem obſcurum eſſe reputant; plures contrarium ſibi clarum eſſe affirmant, inſiſtentes veſtigiis tot præſtantiſſimorum in Belgio & alibi exiſtentium Virorum, Sacræ Theologiæ Doctorum, & illuſtrium ex omnibus penè Ordinibus Religioſis Profeſſorum, qui contentam Janſenii Libro doctrinam, poſt diligentem Operis lectionem, deprædicarunt tamquam orthodoxam & valde Catholicam.

His accenſe tot millia Jeſuitarum, aliorumque Moliniſtarum, qui eo Libro Hæreſes doceri numquam, tametſi ſe vehementer fatigarint, oſtendere valuerunt; imò aperto ore nunc clamant, Janſenium non docuiſſe, niſi Gratiam per ſe efficacem, id eſt (quidquid illi contra tumultuentur) ſanam, orthodoxam, & Catholicam Doctrinam.

Et certè, dum res vocatur in quæſtionem, ac ſepoſitis præjudicis examinantur loci atque temporis circumſtantiæ; in quibus ſcripſit Auctor; dum expenditur cauſa, quam explicandam ſuſceperat; dum opiniones conſiderantur quas everter eſtatuerat; dumque ſic Libri ſenſus argumentis

mentis criticis investigatur, satis constat, quàm non debeat dici clarum in se, quod aliqui clarum sibi videri forsan existimant. Et qua quis auctoritate, id quod in ejusmodi rebus sibi clarum putat esse, aliis omnibus clarum debere videri contendit? Hinc alii perspicientes, caducum esse hoc fundamentum ad extorquendum de obscuro facto Jansenii absolutum ac certum mentis assensum, qui requiritur ad certam & absolutam cum juramento affirmationem, in merum obedientiæ credulæ officium refundunt subscribendi necessitatem, tametsi singulare donum non errandi, cum de ejusmodi facti quæstionibus agitur, in Ecclesia non agnoscant, aut certè sibi id pro sua causa necessarium esse negent. Ita sentiebat perillustris quidam Theologus Leodiensis *Defens. Auct. Eccl. cap.* 1. *art.* 2. " Jurantes Formularium, inquit, non jurare quidem Factum Jansenii; sed tamen Formularium jurare non posse, nisi Factum Jansenii credant, præcipuè post Constitutionem Clementis XI. quæ declarat *non posse*, ut ait Auctor, *subscribi non credendo Factum*. Porrò ad credendum Factum sufficere debere Auctoritatem Ecclesiæ, cujus judicio, judicium suum interius circa Factum Jansenii conformare teneantur, non solùm qui de Facto illo non dubitant, sed & qui de eo quavis ex causa dubitant; quin & qui certò persuasum habent Factum Jansenii non subesse, seu Librum Jansenii nequaquam continere sensum quinque Propositionum hæreticum. Hos enim non minùs quàm illos debere, mutato judicio suo privato, judicium Ecclesiæ amplecti; atque ita Formulario subscribere

„ scribere, absque ullo prorsus perjurii periculo.„ Ita Theologus Leodiensis. Intelligit autem, subscribendum ab omnibus esse Formulæ, tametsi in decidendis ejusmodi factis nullam infallibilitatem haberet Ecclesia. Hanc equidem suam opinionem, tamquam debellandis adversariis aptiorem præfert alteri, Ecclesiæ in rebus talibus tribuenti speciale donum non errandi.

Notandum, inquit, " sustinentes infallibilem esse Ecclesiam in Factis doctrinalibus, relinquere januam admodum patentem, qua elabantur Adversarii: fatendum enim est apud Auctores postremorum seculorum tritum esse hoc effatum: *Ecclesia falli potest*; *Non est infallibilis in Factis*..... Econtrario dum alterum vibratur telum, non habent ullos Auctores, quibus se rueantur, nec hactenus quemquam proferre potuerunt, qui ante ipsos docuerit, Ecclesiæ non nisi infallibiliter decidenti habendam esse fidem.„ In Epistola, quam edidit anno 1705. cum hoc titulo: *De Subscriptione Formularii*, jactabat, permovendis ad Formulæ subscriptionem animis, dispellendisque omnibus anxietatibus hanc viam esse omnium commodissimam. Sed Epistola mox à Jesuitis, quibus mirè displicet omnis ad Formulæ subscriptionem adhibita facilitas, gravi & atroci scripto fuit impugnata, & generali Diœcesis Leodiensis Vicario denunciata. Variis dein aliis Scriptis fuit egregiè confutata. His excitatus Theologus Epistolam suam defendit edito Libro, sub hoc titulo, magnifico magis quam vero: *Defensio Auctoritatis Ecclesiæ*. Hæc *Defensio* rursus à variis

riis eruditis Viris fuit refutata. Non acquiescit Leodiensis Theologus. Novum opus meditatur; sed publicandi operis facultate privatur nomine Serenissimi Electoris Coloniensis ab ejus Vicario Generali Leodiensi anno 1708. prohibente, etiam de *mandato Sanctissimi Domini* ne quid edatur quod *favere videatur doctrinæ circa prædictam Constitutionem* (Clementis XI.) *traditæ in Epistola quæ incipit:* Reverende admodum Domine, de Formula Subscribenda, &c. *& in Libello cui titulus*: Defensio Auctoritatis Ecclesiæ in qua, &c. Verùm Theologus obedientiæ suæ credulæ immemor adversus hoc Decretum publicè protestatur. Systema suum, toties licet protritum, nequidquam reclamante Sede Apostolicâ, pergit defensitare, novo rursus contra ipsius Pontificis mandatum edito Scripto, cui titulum dedit, ut solet, valdè splendidum: *Defensio Auctoritatis Ecclesiæ vindicata.* Dictum ei fuit, quòd Adversariis suis per ignorantiam crassam, perque calumniam crassiorem adscribat hanc doctrinam; *Ecclesiæ non nisi infallibiliter decidenti habendam esse fidem.* Id numquam vel somniarunt ejus Adversarii, quos vocat. Hoc unum cum innumeris Theologis Eruditissimis docent, Ecclesiæ fallibiliter decidenti *non semper* habendam esse fidem. Multùm inter se differunt: numquam, & non semper. Tunc Ecclesiæ sic decidenti negant habendam esse fidem, cum decidit Factum novum, obscurum, ambiguum, & adsunt idoneæ rationes, Factum illud bonâ fide sic accipiendi. Fatetur Theologus Leodiensis, *negari non posse ex omni ætate & natione Theologos; & ex ipsis quidem*

dem acerrimis doctissimisque Sanctæ Sedis vindicibus plurimos citari, qui negent adesse sive Sanctæ Sedi, sive Ecclesiæ infallibilitatem circa facta particularia in Scripturis vel Traditione non contenta, quale est, quis sit particularis Auctoris sensus. At repositum viro fuit, eosdem illos Theologos inde quoque constanter arripere, ab Ecclesiæ judiciis, cum de facto etiam doctrinali alicunde obscuro agitur, dissentiendi libertatem. Exempli gratiâ: Ex eo quòd Ecclesia falli *potuerit* circa epistolarum honorii de re dogmatica sensum assequendum, unanimi consensu iidem laudati Theologi inferunt: ergo ab Ecclesiæ judicio in Sexta Synodo generali lato adversus Epistolas Honorii dissentire licitum est. Si ab hoc unanimi consensu quantum ad Antecedens seu generale principium recedere veretur Leodiensis Theologus, quâ ratione fit ut eumdem illum consensum, quantum ad consequens, seu principii generalis applicationem, nihili faciat?

Dicit Vir Perillustris, eos omnes *qui certò persuasum habent Factum Jansenii non subesse, seu, Librum Jansenii nequaquam continere sensum quinque Propositionum Hæreticum, debere*, vi solius istius auctoritatis, *mutato judicio suo privato, judicium Ecclesiæ amplecti*, tametsi videlicet Ecclesia in Factis talibus decidendis non sit extra omne errandi periculum constituta. Sed hocce commentum, vanasque Theologi Leodiensis argutias invictis argumentis dejecit Illustrissimus D. Franc. de Salignac Fenelon Cameracensium Archi-Episcopus. Auctoritas merè humana errorique obnoxia, rei non evidentis certissimam ac necessariam vi solius auctoritatis persua-

persuasionem nequit imperare, & sub gravissimis pœnis interposito jurejurando exigere, contra graves ac legitimas, si quæ subsunt, dubitandi causas. Ita soli Deo falli nescio quantum ad assentiendi necessitatem subjicitur mens humana. Ubi assentiendi motivum est fallibile, est incertum; nam hæc duo synónima sunt. Ubi autem assentiendi motivum est per se incertum, & simul momentosæ non assentiendi concurrunt rationes, tum nihil aliud homini ratione rectè utenti superest, quàm dubitare. Motivo namque suo certior nequit esse assensio. Ita quotidie in Scholis publicis docent Philosophi. "Nulla „ est, inquit præfatus Archi-episcopus, mentis „ illusio manifestior quàm eorum, qui dum al- „ terâ manu avellunt ab Ecclesia verum ac pro- „ priè dictum non errandi privilegium; alterâ „ nescio quod *infallibilitatis phantasma* repo- „ nunt, dum ei fidem semper adhibitam volunt. „ Si Ecclesiam falli posse existimant, si religio „ generatim non spondet eam actu non falli, ubi „ de quæstionibus hujusmodi judicat, vanâ & „ ridiculâ superstitione ducuntur, ne deceptio- „ nem eo casu timeant, ubi eam actu timendam „ confitentur. Quæ sunt tandem illa mysteria? „ Quid in illa cunctatione religionis est? Quid „ eam, quam actu fallibilem intrepidè supponis, „ credere trepidas actu deceptam, cum admissi „ erroris argumenta subsunt? Quid cohærens „ minùs, quid magis extra locum, quàm im- „ becilla illa & obscura pietas, credulitasque „ plebeia, &, juxta S. Thomam, ab ordine „ aliena, qua fit ut, cum Ecclesiam actu falli „ posse semper confitearis, eam actu non falli,

„ contra

„ contra quamcumque dubitandi rationem, cæcis
„ oculis & commodâ quadam animi docilitate,
„ quæ se periculo cautè subtrahit, semper sup-
„ ponas. „ Ita præsul ille Docum. Past. part. 2.
pag. 213 qui ibidem & paginis seqq. id quod alii
speciosè appellant adhæsionem, & obedientiam,
passim & apertè vocat subscribendi pruritum,
vexationis depellendæ cautionem, studium mi-
tigandæ, seu potiùs consopiendæ conscientiæ,
fidem cæcam, docilitatem vagam & politicam,
ridiculam superstitionem, plebeiam credulita-
tem, infirmam pietatem, commodam docilita-
tem, obedientiam inconsultam, obsequium non
secundùm scientiam, simulque eos omnes acri-
ter insectatur, quasi Religiosum silentium in
causa Jansenii tantopere agitatum sub aliis no-
minibus revehant & obtrudant. Asserit & validè
probat, mentem ad assentiendum aut dissen-
tiendum pro nutu suo non esse liberam, sed
omnino requiri motivum sufficiens ad hunc il-
lumve assensum aut dissensum. Leodiensis
Theologus, inquit Præsul in quadam Epistola
ad Principem Leodiensem, *probabit, noctem esse
diem, & montem esse vallem, quando probabit,
mentem humanam posse contra intimam suam evi-
dentiam, vel actualem convictionem, factum
aliquod credere fide certâ ob motivum fallibile, &
proinde incertùm.* Imò non sine *tyrannide* exigi
posse affirmat certam firmamque, præsertim ju-
ratam assensionem vi solius Auctoritatis fallibi-
lis, dum justa ac gravia habeantur non sic assen-
tiendi petita à ratione argumenta. Qui plura
contra Leodiensis Theologi malè cohærentem
hypothesim videre desiderat, legere potest Opus
in

in duas partes divisum, cui titulus : *Obedientiæ credulæ vana Religio*, ubi Leodiense Systhema ita funditus evertitur, ut non relinquatur lapis super lapidem qui non destruatur.

Illustrissimus Cameracensium Archi-episcopus qui novam Leodiensis Theologi opinationem tam strenuè confutâvit, novam ipse de subscribenda Formula procudit sententiam. Omnibus præstantissimi ingenii sui viribus conatur probare, in decidendo Facto Jansenii, aliisque ejusmodi, Ecclesiam vi promissionum esse infallibilem. Sed hæc opinio est planè singularis. Ante novissimas de Libro Jansenii controversias, nemo Theologorum eam tenuit. Contrariam propugnarunt passim omnes. Hinc IV. celeberrimorum Galliæ Episcoporum doctrinam comprobantes novemdecim alii ejusdem Regni Episcopi, ad Clementem IX. anno 1667 intrepidè scripserunt, *dogma* illud esse *novum & inauditum, condemnatum per Theologos omnes veteres & novos*: doctrinam verò *errori tam manifesto oppositam, esse communissimam & certissimam.* Tum rursùs ad Regem Christianissimum scripserunt, doctrinam illam esse *novam perniciosam, & omnibus Religionis principiis contrariam.* Plerique etiam moderni Galliæ Episcopi ab Archiepiscopo Cameracensi dissentiunt. Habet quidem Jesuitas, & aliquot alios Theologos adstipulantes sibi. Verùm Episcopos perspicuè docentes in dijudicanda quæstione merè critica, in dignoscendo novi alicujus Scriptoris in suo Libro sensu, Ecclesiam errandi periculo non subesse, clarè hactenus non potuit, nisi Cænomannensem & Rupellensem.

Quidam Theologus, qui prætensè-Jansenistis infensum prodit animum, Scriptum composuit gallicum, cui titulus est : *Elucidatio in Mandatum ac Documentum Pastorale Illustrissimi Archiepiscopi Cameracensis.* In eo summâ arte nec minori perspicuitate Cameracense Systhema examinat, & quatuor argumentis totum convellit. Ostendit, donum illud non errandi, quod Illustrissimus Archiepiscopus commentus est, nec Scripturis Sacris, nec Traditione niti: deinde, servando transmittendoque Fidei deposito minimè necessarium esse: tertiò, ex eodem Systhemate innumera absurda consequi : ultimò tandem, donum illud infallibilitatis nec explicari, nec in usum ab Ecclesia redigi posse. Tum probat, illam Cameracensis Archiepiscopi opinionem, non modò inutilem esse, sed etiam perniciosam : inde Fidei securitati periculum imminere, & promissionum Christi certitudinem debilitari. Systhema Cameracense varii alii Viri eruditi labefactarunt. Id egregiè præstitit Doctissimus Theologus in Libro Gallicè scripto, cui titulus est : *Justification du Silence respectueux.*

VI. *Illu-*

VI.

Illustrissimus Cameracensium Archiepiscopus prudenter non exigit passim Formularii subscriptionem. Ejus de hoc argumento sententia unanimi Ecclesiæ consensu certò recepta non est. Quicumque in suam hic opinionem cogere vult alios, is ante omnia probare debet, suam sententiam probari Ecclesiæ Dei.

SAtis perspicit Illustrissimus Præsul, quantâcumque conatus fuerit animi contentione, non valuisse se tamen opinionem suam mundo persuadere. Hinc nec à Clero suo Formulæ Subscriptionem exigit. Quâ in re paternam ejus erga commissas sibi oves charitatem, & Christianam prudentiam laudare satis nequeo. Novit, Pastores esse Vicarios amoris Christi; Patres eos esse, non Dominos; charitatem sæpissimè, sepositâ auctoritate, auctoritatem nunquam, sepositâ charitate, exercere debere; erudire potiùs eos oportere, quàm terrere; potestatem Ecclesiasticam non modò communi utilitati, sed & singulorum saluti debere consulere. Unde non mandat imperiosè: debetis sententiam vestram mutare; debetis mecum sentire; debetis jurare. Optimè novit, mentem humanam non debere in servitutem redigi sub auctoritate fallibili; imò nec posse ad assensum necessarium, certum, ac firmum flecti, nisi aut evidenti ratione, aut in-

 fallibili

fallibili motivo, dum res aliunde dubia est. Et forsan prævidit, id, quod ipse contra Leodiensem Theologum rectissimè scripsit, in se posse aliquando retorqueri; quòd nimirùm *probabit noctem esse diem, & montem esse vallem, quando probabit, posse mentem humanam contra intimam suam evidentiam, vel actualem convictionem credere quidpiam fide certâ ob motivum fallibile, ac proinde incertum.* Illustrissimi Archiepiscopi opinio non est profectò evidens in se, nec infallibili certoque nititur motivo. Habent alii Theologi tot ac tanta tum ab auctoritate, tum à ratione petita argumenta pro Ecclesiæ fallibilitate in decidendis Factis novis ac doctrinalibus, quale est Factum Jansenii. Conatur quidem Illustrissimus Cameracensis probare, Ecclesiæ pro sua sententia certissimum esse consensum, nullique errori obnoxium, & proinde necessarium & irrefragabile veritatis signum. Sed, præterquam quòd infirmis nitatur fundamentis, nihil agit, nisi etiam propositionem hanc, scilicet; *Ecclesiam esse in dijudicandis novi Facti controversiis infallibilem*, demonstret esse unanimi totius Ecclesiæ consensu receptam; in quo statim falsi convinceretur, reclamantibus adversus ipsum Episcopis ac Theologis penè omnibus. Idem pari ratione dici potest de alterius cujuscumque sententiæ Patronis. Ut alios in suam opinionem jure cogere, eosque, ad conformiter jurandum adigere meritò possint, ostendere debent, sententiam suam unanimi totius Ecclesiæ consensu receptam esse, in quo Archiepiscopum Cameracensem, aliosque Theologos obnixè nec sine fundamen-

tis

tis gravibus reclamantes invenient. Quòd si quis sententiam hac in parte suam sic tamquam Fidei Articulum obtrudere, & alios sibi non consentientes hæresis accusare præsumat, is meritò vereri potest, ne, dum hæreses extirpare studet, incautus ipse hæresim condat. Verissimum namque est, quod scribit Joannes Major in 3. sent. dist. 27. qu. 26. *Non est minùs hæresis, asserere aliquid esse de fide quod nullatenus de fide est, quàm negare aliquid de fide quod est de fide.*

Immò generaliter qui alios pro Subscriptione Formularii in suam cogere molitur sententiam, huic ante omnia onus incumbit probandi, opinionem hîc suam Ecclesiæ sensui esse conformem. Quo enim jure privatorum aliquot opinamentum aliter sentientibus Regula statuitur credendi & agendi? Qui ergò facilitandæ Subscriptioni hunc, illumve Jansenianî Libri sensum comminiscitur; vel etiam contendit, licitè jurari, tametsi sensus ille prorsus ignoretur, is bonis primùm rationibus probet, sententiam suam probari Ecclesiæ Dei. Qui ad promovendam Subscriptionem, hunc, illumve Formulario sensum, etiam post Constitutionem Clementis XI. tribuit, demonstrare saltem tenetur, sensum illum non esse à Pontificis mente alienum. Qui ad licitam subscriptionem sufficere contendit, nescio quàm interiorem obsequentiam, credulitatem, de Hæretico Libri sensu opinationem, licet cum formidine de opposito conjunctam, is proculdubio, solidis argumentis ostendere debet, rebus hujusmodi contentum esse Pontificem, contentos esse alios qui

 For-

Formulæ Subscriptionem exigunt. Qui hoc illudve credendi Libro Jansenii doceri Hæreses motivum, aut sufficere, aut requiri dictitat, cur is, quæso, palam facere non deberet, sententiam suam doctrinæ Ecclesiæ esse consentaneam? Nisi enim hæc omnia fiant, quâ tandem ratione scietur, an hoc illove modo jurantes, non jurent contra expectationem eorum, qui juramentum exigunt?

VII.

Proponitur in genere, quinam Subscribere Formulario licitè nequeant. Et examinatur, an omnes illi sententiam hic suam teneantur mutare.

EX his clarè patet, quanta sit de subscribenda Formula Alexandrina sententiarum varietas circa *objectum* juramenti, & requisitæ persuasionis, circa *qualitatem* persuasionis; circa *motivum* persuasionis. Hoc interim apud omnes certum est, aut saltem videtur esse debere, illi Formulæ non posse licitè subscribi *ab iis, qui interius non judicant Jansenii Libro doctrinam Hæreticam contineri*, ut loquitur Clemens XI.

Hinc subscribere licitè nequit is, qui omnibus motivis consideratis, vel Factum ignorat, vel de Facto dubitat, vel Factum esse falsum existimat. Nemo enim potest licitè quidquam extra cognitionem persuasionemque suam cum juramento profiteri.

Jam quæritur, an omnes illi qui ita circa Factum constituti sunt, licitè possint compelli ad

For-

Formulæ Subſcriptionem juramento firmandam. Reſp. Certò compelli nequeunt, ut ſubſcribant, manente tali mentis diſpoſitione. Nam ſic illicitè, ut diximus, ſubſcriberent. Nemo autem licitè compelli poteſt ad peccatum.

Sed mutare debent, reponet forſan aliquis, eam mentis circa Factum diſpoſitionem. Reſp. Examinemus pauliſper, an omnes teneantur, imò an poſſint, ſuam de Facto Janſenii ignorationem deponere, aut ſententiam mutare. Id facere nec debent, nec poſſunt niſi ob motivum aliquod, illudq; ſufficiens. Ejuſmodi autem motivum non eſt imprimis, quod illud Factum ſit in ſe evidens. Nam fatentur ferè omnes Theologi, & id ipſa tot ſententiarum de illo Facto varietas manifeſtè demonſtrat, Factum eſſe obſcurum, & ambiguum. Adde, multis eſſe impoſſibile de Facto, prout in ſe eſt, quidquam ſtatuere, ut eſt omnibus Latinæ linguæ ignaris, omnibus item qui nihil prorsùs habent ſtudii Theologici, hominibus inſuper ſtupidis, & incultis, quales ſunt penè innumeri. Sunt etiam non pauci Theologiæ ſtudioſi, qui Janſenii Librum aut numquam legerunt, utpote prohibitum, aut certè intelligere propter ingenii tarditatem, & argumenti ſublimitatem non valuerunt. Ergo nulla hìc juſta mutandæ generaliter ſententiæ ratio. Id extra omnem eſt controverſiam.

At ſententiam ſuam forſan mutare tenentur propter auctoritatem Eccleſiæ? Reſp. nemo hactenus demonſtravit, ab ipſa Eccleſia Factum Janſenii eſſe definitum. Neque id demonſtrari poterit umquam. Verùm gratis demus id modò. Vel ſententiam ſuam tenebuntur mutare

ob

ob Ecclesiæ auctoritatem, quæ in ejusmodi Factis decidendis sit fallibilis, vel quæ sit hìc omnino infallibilis. Si priùs, fortissimè cum aliis bene multis repugnat Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis, hanc de re in se dubia vi solâ motivi per se incerti qualemcumque persuasionem vocitans docilitatem politicam, vexationis depellendæ cautionem, ridiculam superstitionem; asserens propterea, id humanæ menti esse impossibile, nec sine tyrannide ab ea posse exigi. Si posterius eligis, opinionem, ut vidimus, sequeris omnino singularem, Theologorum ac Episcoporum penè omnium sententiæ repugnantem. Certum præterea est, neutram sententiam unanimi Ecclesiæ consensu esse receptam. Cur igitur ob alterutram homines naturâ & Gratiâ Christi liberos compellere ad certum firmumque cum juramento assensum Facti non revelati de cujus veritate graves habent saltem dubitandi rationes?

Ad hæc, in variis hodie Diœcesibus compelluntur subscribere juxta priorem opinionem, vel Systhema Leodiense ipsius Clementis XI jussu à Vicario Generali Leodiensi proscriptum; in quibusdam aliis Diœcesibus iidem illi debebunt subscribere eidem Formulæ juxta posteriorem opinationem; aliis iterum locis fortè cogentur Subscribere ob aliud motivum, scilicet, quòd ipsis exigentibus Factum Jansenii videatur in se certum ac evidens. Siccine oportet circumferri omni vento opinionum, & modò ob hoc veritatis motivum, quod interim à multis Theologis rejicitur & acriter impugnatur; modò ob illud, quòd rursus ab Episcopis penè omnibus

bus improbatur ; modò, ob nescio quod tertium, quod aliis duobus adhuc infirmius, meritò judicatur, semper prosilire ad jurandum ?

Deinde multi sunt qui bonâ fide existimant, Jansenium in suo Libro non docuisse nisi doctrinam de Gratia per se ipsam efficaci : quæro, an hi retentâ hac sua de Facto Jansenii sententiâ, licitè possint nunc Formulæ Alexandrinæ Subscribere, vel ad subscribendùm urgeri? Respondebunt omnes Gratiæ per se efficacis defensores, id esse nefas. Sed obligantur fortè hanc suam de sensu Jansenii sententiam mutare ? Hìc ego rursus quæro : Cur igitur tot Jesuitæ, totque alii Molinistæ non coguntur ab Episcopis hanc ipsam suam certam, ut putant, de sensu Jansenii sententiam mutare ? Quod his omnibus permittitur, id cur aliis crimini vertitur ? Imò cur omni morte acerbius supplicium commereatur homo, ob hoc quod ea de re, quæ Molinistis apparet evidens, saltem addubitet, vel nullam habeat opinionem ? Vidimus ante, quòd ipsius Calvini Libros de Gratiâ per se efficaci, quam tradunt in Scholis suis Thomistæ, exponant Molinistæ, tametsi his etiam ultrò fatentibus, varios de Gratia errores in sensu istius hæresiarchæ condemnaverit Tridentina Synodus. Dicatur, in nomine Domini, quid criminis aut sit, aut esse possit, Librum Episcopi Catholici qui Scriptis suis hæreticos confutavit, bonâ fide benigniùs interpretari, & cum ipsis etiam hîc Molinistis sentire ? Videor sat multis argumentis demonstrâsse, sine fundamento asseri, eos, qui Factum Jansenii vel prorsùs ignorant, vel de Facto, perpensis motivis omnibus dubitant, vel

Factum

Factum esse falsum existimant, debere cogi, ut mutatâ sententiâ cum juramento Subscribant Formulæ. Unum adhuc lubet addere: Quæro an D. Leydeckerus, Exempli causâ, existimans cum Jesuitis & plerisque Molinistis, Jansenii Libro non aliam tradi doctrinam, quàm Gratiæ per se efficacis, teneatur hanc suam de illo facto opinionem abjicere? An si non abjiciat, & interim ad Ecclesiæ Catholicæ gremium forsan redire cupiat, debeat ab Ecclesiæ præpositis compelli ad Subscribendum Formulæ Alexandrinæ passurus, nisi obediat, quantum satis erit malorum? An sine hac Subscriptione nequeat esse bonus Catholicus, & salutem adipisci æternam?

VIII,

Ostenditur quot hic fiant juramenta suis destituta comitibus.

CIrca promiscuam Subscriptionis exactionem varia insuper alia considerari debent. Ut licitè jurari possit, debet Factum Jansenii juranti prorsùs esse certum. Nihil est manifestiùs. Juramentum enim naturâ suâ vinculum est & signum persuasionis certum & immobile. *Quicumque jurat aliquid*, inquit S. Thomas in 3. dist. 39. art. 4. *Significat se de hoc certum esse.* Juxta Card. Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 5. Juramento confirmare non licet, nisi *apertissimas & certissimas sententias.* Docet Catechism. Rom. p. 3. ad 2. Decalogi Præceptum num. 17. Ne juramento desit Veritas, requiri, *ut quod asseritur, & ipsum verum sit, & qui jurat, id ita esse*

esse arbitretur, non quidem temerè aut levi conjectura adductus, sed certissimis argumentis. Conformiter Lessius de jure & justitia lib. 2. c. 42. *Si veritas desit*, inquit, *vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est peccatum mortiferum.*

Jurare oportet ad mentem eorum qui juramentum exigunt: jam verò hi postulant plenam de Facto Jansenii persuasionem. Id etiam passim sic ipsum vulgus apprehendit. Qui proinde de Facto Jansenii non est omnino certus, is jurando fallit, quod numquam licet, publicam exspectationem.

Hìc jam ego quæro, primò: An non variæ sint Moniales, à quibus juramentum exigitur, quæ adeo non sint firmiter persuasæ de Facto Jansenii, ut fortè ne sciant quidem, in quo illud Factum consistat, ut ne sciant quidem quid jurent; cum etiam inter ipsos Theologos, ut vidimus, non conveniat, quid per Formulæ Subscriptionem juramento confirmetur.

Quæro secundò: possitne meritò dubitari, quin vel inter ipsos Ecclesiasticos sint non pauci, qui, cum Formulæ subscribunt, quid affirment, quid jurent, prorsùs ignorant. Nihil fortè umquam de hacce controversia inaudiverunt. Res aliunde est intricatissima. Theologi cum Theologis, Episcopi cum Episcopis de ea disputant acerrimè. Juvenibus rerum Sacrarum Studiosis prælegitur forsan Constitutio Pontificia. Audiunt aliquid in genere de quinque Propositionibus, de Libro Jansenii, de filiis iniquitatis. Piè credunt omnia. Quidvis potiùs volunt, quàm repelli à Sacri Ordinibus. Ita continuò formant nescio quàm de Facto Jansenii opinionem. Ita

statim

ſtatim levant manus ad cælum, & nullam fixam, de Facto Janſenii habentes ſententiam, nullum habentes certum veritatis ſignum, intrepidè jurant. Quid cogitari poteſt horribilius?

Quæro tertiò: An non ſint complures, qui non certò perſuaſum habent, Janſenii Libro quinque contineri Hæreſes ab Auctore intentas; ſed de hocce Facto critico, opinionem habent certo firmoque judicio debiliorem, quam alii fidem humanam nuncupant; probabiliorem alii opinionem; hi adhæſionem; iſti meram præſumptionem; quidam acquieſcendi officium; Nonnulli obedientiam ſinceram; alii neſcio quid aliud. Sic interim jurant. Sed eſtne hoc jurare cùm ea de Facto Janſenii certitudine, quam & juramenti religio, & exigentium intentio poſtulat?

Quæro quartò; an non ſatis multi reperiantur, qui ſibi perſuadere nituntur, ſeſe de Facto Janſenii habere omnimodam, ac firmam conſtantemque ſententiam cum tamen eam revera non habeant. Sicuti frequenter contingit, hominem non amare quod ſe amare putat; ita non rarò evenit, hominem non ſentire, quod ſentire ſe exiſtimat. *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur*, inquit Gregorius Magnus Paſt. Curæ p. 1. cap. 9. Subſcribunt ergo Formulæ, non ob hoc quòd pro indubitato habeant, Janſenii Libro doceri quinque Hæreſes, ſed ob motivum aliquod aliud occultiùs in eorum mente latens, quod Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Cameracenſis appellat, exilii fugam, vexationis depellendæ cautionem, ſtudium mitigandæ ſeu potiùs conſopiendæ conſcientiæ. Vexari nolunt; terrena ambiunt;

ſpeque

ſpeque metuque feruntur. Miſeris hiſce motivis verè inducuntur ad jurandum. Sed eſtne hoc jurare, conformiter ad jurisjurandi religionem, quæ, ut docet Catechiſmus, requirit, *ut quod aſſeritur, & ipſum verum ſit, & qui jurat, id ita eſſe arbitretur*, NON QUIDEM TEMERE, AUT LEVI CONJECTURÂ ADDUCTUS, SED CERTISSIMIS ARGUMENTIS. Et quid de hujuſmodi jurantibus judicabit ſcrutator cordium Deus?

Quæro quintò: An non ſint penè innumeri, qui certò quidem perſuaſum habent, Janſenii Libro tradi doctrinam Hæreticam, ſed contra Summorum Pontificum, ipſiuſque Eccleſiæ mentem, per illam doctrinam intelligunt doctrinam de Gratia per ſe efficaci, quàm illi vocitant neceſſitantem. Ita dicti Libri ſenſum accipiunt, ita jurant Jeſuitæ paſſim totque alii Moliniſticis de Gratia principiis imbuti. Quòd jurent contra mentem Eccleſiæ, ut alia nunc prætercam, mecum ſentiunt omnes Gratiæ per ſe efficacis defenſores. Quæro igitur, quâ conſcientiâ illi boni viri jurent, & jurando ipſius Eccleſiæ doctrinam apertè condemnare ſe profiteantur? Quæro quâ conſcientiâ ab illis Theologis juramentum exigant Epiſcopi, illi præſertim qui ipſi Gratiæ per ſe efficacis ſunt propugnatores?

Quæro ſextò: Sitne impoſſibile, eorum aliquos, quibus indubitatum videtur, Janſenii Libro non doceri hæretica dogmata, Formulæ tamen interpoſito jurejurando ſubſcribere, vel mala temporalia vitandi causâ, vel bona caduc[illegible] acquirendi Studio? Scitur quid olim tem[illegible]ba- perſecutionum fecerint multi Chriſtia[illegible]ducunt ergo hìc fortè committuntur manifeſ[illegible] eos omnes Hæc omnia dies Domini revelab[illegible]nt numerus)

qui

fallibili motivo, dum res aliunde dubia est. Et forsan prævidit, id, quod ipse contra Leodiensem Theologum rectissimè scripsit, in se posse aliquando retorqueri; quòd nimirùm *probabit noctem esse diem, & montem esse vallem, quando probabit, posse mentem humanam contra intimam suam evidentiam, vel actualem convictionem credere quidpiam fide certâ ob motivum fallibile, ac proinde incertum.* Illustrissimi Archiepiscopi opinio non est profectò evidens in se, nec infallibili certoque nititur motivo. Habent alii Theologi tot ac tanta tum ab auctoritate, tum à ratione petita argumenta pro Ecclesiæ fallibilitate in decidendis Factis novis ac doctrinalibus, quale est Factum Jansenii. Conatur quidem Illustrissimus Cameracensis probare, Ecclesiæ pro sua sententia certissimum esse consensum, nullique errori obnoxium, & proinde necessarium & irrefragabile veritatis signum. Sed, præterquam quòd infirmis nitatur fundamentis, nihil agit, nisi etiam propositionem hanc, scilicet; *Ecclesiam esse in dijudicandis novi Facti controversiis infallibilem*, demonstret esse unanimi totius Ecclesiæ consensu receptam; in quo statim falsi convinceretur, reclamantibus adversus ipsum Episcopis ac Theologis penè omnibus. Idem pari ratione dici potest de alterius cujuscumque sententiæ Patronis. Ut alios in suam opinionem jure cogere, eosque, ad conformiter jurandum adigere meritò possint, ostendere debent, sententiam suam unanimi totius Ecclesiæ consensu receptam esse, in quo Archiepiscopum Cameracensem, aliosque Theologos obnixè nec sine fundamen-

tis

tis gravibus reclamantes invenient. Quòd si quis sententiam hac in parte suam sic tamquam Fidei Articulum obtrudere, & alios sibi non consentientes hæresis accusare præsumat, is meritò vereri potest, ne, dum hæreses extirpare studet, incautus ipse hæresim condat. Verissimum namque est, quod scribit Joannes Major in 3. sent. dist. 27. qu. 26. *Non est minùs hæresis, asserere aliquid esse de fide quod nullatenus de fide est, quàm negare aliquid de fide quod est de fide.*

Immò generaliter qui alios pro Subscriptione Formularii in suam cogere molitur sententiam, huic ante omnia onus incumbit probandi, opinionem hîc suam Ecclesiæ sensui esse conformem. Quo enim jure privatorum aliquot opinamentum aliter sentientibus Regula statuitur credendi & agendi? Qui ergò facilitandæ Subscriptioni hunc, illumve Jansenianii Libri sensum comminiscitur; vel etiam contendit, licitè jurari, tametsi sensus ille prorsus ignoretur, is bonis primùm rationibus probet, sententiam suam probari Ecclesiæ Dei. Qui ad promovendam Subscriptionem, hunc, illumve Formulario sensum, etiam post Constitutionem Clementis XI. tribuit, demonstrare saltem tenetur, sensum illum non esse à Pontificis mente alienum. Qui ad licitam subscriptionem sufficere contendit, nescio quàm interiorem obsequentiam, credulitatem, de Hæretico Libri sensu opinationem, licet cum formidine de opposito conjunctam, is proculdubio, solidis argumentis ostendere debet, rebus hujusmodi contentum esse Pontificem, contentos esse alios qui

Formulæ Subſcriptionem exigunt. Qui hoc illudve credendi Libro Janſenii doceri Hæreſes motivum, aut ſufficere, aut requiri dictitat, cur is, quæſo, palam facere non deberet, ſententiam ſuam doctrinæ Eccleſiæ eſſe conſentaneam? Niſi enim hæc omnia fiant, quâ tandem ratione ſcietur, an hoc illove modo jurantes, non jurent contra expectationem eorum, qui juramentum exigunt?

VII.

Proponitur in genere, quinam Subſcribere Formulario licitè nequeant. Et examinatur, an omnes illi ſententiam hic ſuam teneantur mutare.

EX his clarè patet, quanta ſit de ſubſcribenda Formula Alexandrina ſententiarum varietas circa *objectum* juramenti, & requiſitæ perſuaſionis, circa *qualitatem* perſuaſionis; circa *motivum* perſuaſionis. Hoc interim apud omnes certum eſt, aut ſaltem videtur eſſe debere, illi Formulæ non poſſe licitè ſubſcribi *ab iis, qui interius non judicant Janſenii Libro doctrinam Hæreticam contineri*, ut loquitur Clemens XI.

Hinc ſubſcribere licitè nequit is, qui omnibus motivis conſideratis, vel Factum ignorat, vel de Facto dubitat, vel Factum eſſe falſum exiſtimat. Nemo enim poteſt licitè quidquam extra cognitionem perſuaſionemque ſuam cum juramento profiteri.

Jam quæritur, an omnes illi qui ita circa Factum conſtituti ſunt, licitè poſſint compelli ad

For-

Formulæ Subſcriptionem juramento firmandam. Reſp. Certò compelli nequeunt, ut ſubſcribant, manente tali mentis diſpoſitione. Nam ſic illicitè, ut diximus, ſubſcriberent. Nemo autem licitè compelli poteſt ad peccatum.

Sed mutare debent, reponet forſan aliquis, eam mentis circa Factum diſpoſitionem. Reſp. Examinemus pauliſper, an omnes teneantur, imò an poſſint, ſuam de Facto Janſenii ignorationem deponere, aut ſententiam mutare. Id facere nec debent, nec poſſunt niſi ob motivum aliquod, illudq; ſufficiens. Ejuſmodi autem motivum non eſt imprimis, quod illud Factum ſit in ſe evidens. Nam fatentur ferè omnes Theologi, & id ipſa tot ſententiarum de illo Facto varietas maniféſtè demonſtrat, Factum eſſe obſcurum, & ambiguum. Adde, multis eſſe impoſſibile de Facto, prout in ſe eſt, quidquam ſtatuere, ut eſt omnibus Latinæ linguæ ignaris, omnibus item qui nihil prorsùs habent ſtudii Theologici, hominibus inſuper ſtupidis, & incultis, quales ſunt penè innumeri. Sunt etiam non pauci Theologiæ ſtudioſi, qui Janſenii Librum aut numquam legerunt, utpote prohibitum, aut certè intelligere propter ingenii tarditatem, & argumenti ſublimitatem non valuerunt. Ergo nulla hìc juſta mutandæ generaliter ſententiæ ratio. Id extra omnem eſt controverſiam.

At ſententiam ſuam forſan mutare tenentur propter auctoritatem Eccleſiæ? Reſp. nemo hactenus demonſtravit, ab ipſa Eccleſia Factum Janſenii eſſe definitum. Neque id demonſtrari poterit umquam. Verùm gratis demus id modò. Vel ſententiam ſuam tenebuntur mutare

ob

ob Ecclesiæ auctoritatem, quæ in ejusmodi Factis decidendis sit fallibilis, vel quæ sit hìc omnino infallibilis. Si priùs, fortissimè cum aliis bene multis repugnat Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis, hanc de re in se dubia vi solâ motivi per se incerti qualemcumque persuasionem vocitans docilitatem politicam, vexationis depellendæ cautionem, ridiculam superstitionem; asserens propterea, id humanæ menti esse impossibile, nec sine tyrannide ab ea posse exigi. Si posterius eligis, opinionem, ut vidimus, sequeris omnino singularem, Theologorum ac Episcoporum penè omnium sententiæ repugnantem. Certum præterea est, neutram sententiam unanimi Ecclesiæ consensu esse receptam. Cur igitur ob alterutram homines naturâ & Gratiâ Christi liberos compellere ad certum firmumque cum juramento assensum Facti non revelati de cujus veritate graves habent saltem dubitandi rationes?

Ad hæc, in variis hodie Diœcesibus compelluntur subscribere juxta priorem opinionem, vel Systhema Leodiense ipsius Clementis XI jussu à Vicario Generali Leodiensi proscriptum; in quibusdam aliis Diœcesibus iidem illi debebunt subscribere eidem Formulæ juxta posteriorem opinationem; aliis iterum locis fortè cogentur Subscribere ob aliud motivum, scilicet, quòd ipsis exigentibus Factum Jansenii videatur in se certum ac evidens. Siccine oportet circumferri omni vento opinionum, & modò ob hoc veritatis motivum, quod interim à multis Theologis rejicitur & acriter impugnatur; modò ob illud, quòd rursus ab Episcopis penè omnibus

bus improbatur ; modò, ob nescio quod tertium, quod aliis duobus adhuc infirmius, meritò judicatur, semper prosilire ad jurandum ?

Deinde multi sunt qui bonâ fide existimant, Jansenium in suo Libro non docuisse nisi doctrinam de Gratia per se ipsam efficaci : quæro, an hi retentâ hac sua de Facto Jansenii sententiâ, licitè possint nunc Formulæ Alexandrinæ Subscribere, vel ad subscribendùm urgeri? Respondebunt omnes Gratiæ per se efficacis defensores, id esse nefas. Sed obligantur fortè hanc suam de sensu Jansenii sententiam mutare ? Hìc ego rursus quæro : Cur igitur tot Jesuitæ, totque alii Molinistæ non coguntur ab Episcopis hanc ipsam suam certam, ut putant, de sensu Jansenii sententiam mutare? Quod his omnibus permittitur, id cur aliis crimini vertitur ? Imò cur omni morte acerbius supplicium commereatur homo, ob hoc quod ea de re, quæ Molinistis apparet evidens, saltem addubitet, vel nullam habeat opinionem? Vidimus ante, quòd ipsius Calvini Libros de Gratiâ per se efficaci, quam tradunt in Scholis suis Thomistæ, exponant Molinistæ, tametsi his etiam ultrò fatentibus, varios de Gratia errores in sensu istius hæresiarchæ condemnaverit Tridentina Synodus. Dicatur, in nomine Domini, quid criminis aut sit, aut esse possit, Librum Episcopi Catholici qui Scriptis suis hæreticos confutavit, bonâ fide benigniùs interpretari, & cum ipsis etiam hìc Molinistis sentire ? Videor sat multis argumentis demonstrâsse, sine fundamento asseri, eos, qui Factum Jansenii vel prorsùs ignorant, vel de Facto, perpensis motivis omnibus dubitant, vel

Factum

Factum esse falsum existimant, debere cogi, ut mutatâ sententiâ cum juramento Subscribant Formulæ. Unum adhuc lubet addere. Quæro an D. Leydeckerus, Exempli causâ, existimans cum Jesuitis & plerisque Molinistis, Jansenii Libro non aliam tradi doctrinam, quàm Gratiæ per se efficacis, teneatur hanc suam de illo facto opinionem abjicere? An si non abjiciat, & interim ad Ecclesiæ Catholicæ gremium forsan redire cupiat, debeat ab Ecclesiæ præpositis compelli ad Subscribendum Formulæ Alexandrinæ passurus, nisi obediat, quantum satis erit malorum? An sine hac Subscriptione nequeat esse bonus Catholicus, & salutem adipisci æternam?

VIII.

Ostenditur quot hic fiant juramenta suis destituta comitibus.

Circa promiscuam Subscriptionis exactionem varia insuper alia considerari debent. Ut licitè jurari possit, debet Factum Jansenii juranti prorsùs esse certum. Nihil est manifestiùs. Juramentum enim naturâ suâ vinculum est & signum persuasionis certum & immobile. *Quicumque jurat aliquid*, inquit S. Thomas in 3. dist. 39. art. 4. *Significat se de hoc certum esse.* Juxta Card. Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 5. Juramento confirmare non licet, nisi *apertissimas & certissimas sententias.* Docet Catechism. Rom. p. 3. ad 2. Decalogi Præceptum num. 17. Ne juramento desit Veritas, requiri, *ut quod asseritur, & ipsum verum sit, & qui jurat, id ita esse*

esse arbitretur, non quidem temerè aut levi conje-ctura adductus, sed certissimis argumentis. Conformiter Lessius de jure & justitia lib. 2. c. 42. *Si veritas desit*, inquit, *vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est peccatum mortiferum.*

Jurare oportet ad mentem eorum qui juramentum exigunt: jam verò hi postulant plenam de Facto Jansenii persuasionem. Id etiam passim sic ipsum vulgus apprehendit. Qui proinde de Facto Jansenii non est omnino certus, is jurando fallit, quod numquam licet, publicam exspectationem.

Hìc jam ego quæro, primò: An non variæ sint Moniales, à quibus juramentum exigitur, quæ adeo non sint firmiter persuasæ de Facto Jansenii, ut fortè ne sciant quidem, in quo illud Factum consistat, ut ne sciant quidem quid jurent; cum etiam inter ipsos Theologos, ut vidimus, non conveniat, quid per Formulæ Subscriptionem juramento confirmetur.

Quæro secundò: possitne meritò dubitari, quin vel inter ipsos Ecclesiasticos sint non pauci, qui, cum Formulæ subscribunt, quid affirment, quid jurent, prorsùs ignorant. Nihil fortè umquam de hacce controversia inaudiverunt. Res aliunde est intricatissima. Theologi cum Theologis, Episcopi cum Episcopis de ea disputant acerrimè. Juvenibus rerum Sacrarum Studiosis prælegitur forsan Constitutio Pontificia. Audiunt aliquid in genere de quinque Propositionibus, de Libro Jansenii, de filiis iniquitatis. Piè credunt omnia. Quidvis potiùs volunt, quàm repelli à Sacri Ordinibus. Ita continuò formant nescio quàm de Facto Jansenii opinionem. Ita statim

ſtatim levant manus ad cælum, & nullam fixam, de Facto Janſenii habentes ſententiam, nullum habentes certum veritatis ſignum, intrepidè jurant. Quid cogitari poteſt horribilius?

Quæro tertiò: An non ſint complures, qui non certò perſuaſum habent, Janſenii Libro quinque contineri Hæreſes ab Auctore intentas; ſed de hocce Facto critico, opinionem habent certo firmoque judicio debiliorem, quam alii fidem humanam nuncupant; probabiliorem alii opinionem; hi adhæſionem; iſti meram præſumptionem; quidam acquieſcendi officium; Nonnulli obedientiam ſinceram; alii neſcio quid aliud. Sic interim jurant. Sed eſtne hoc jurare cum ea de Facto Janſenii certitudine, quam & juramenti religio, & exigentium intentio poſtulat?

Quæro quartò; an non ſatis multi reperiantur, qui ſibi perſuadere nituntur, ſeſe de Facto Janſenii habere omnimodam, ac firmam conſtantemque ſententiam cum tamen eam revera non habeant. Sicuti frequenter contingit, hominem non amare quod ſe amare putat; ita non rarò evenit, hominem non ſentire, quod ſentire ſe exiſtimat. *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur*, inquit Gregorius Magnus Paſt. Curæ p. 1. cap. 9. Subſcribunt ergo Formulæ, non ob hoc quòd pro indubitato habeant, Janſenii Libro doceri quinque Hæreſes, ſed ob motivum aliquod aliud occultiùs in eorum mente latens, quod Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Cameracenſis appellat, exilii fugam, vexationis depellendæ cautionem, ſtudium mitigandæ ſeu potiùs conſopiendæ conſcientiæ. Vexari nolunt; terrena ambiunt;

ſpeque

speque metuque feruntur. Miseris hisce motivis verè inducuntur ad jurandum. Sed estne hoc jurare, conformiter ad jurisjurandi religionem, quæ, ut docet Catechismus, requirit, *ut quod asseritur, & ipsum verum sit, & qui jurat, id ita esse arbitretur*, NON QUIDEM TEMERE, AUT LEVI CONJECTURÂ ADDUCTUS, SED CERTISSIMIS ARGUMENTIS. Et quid de hujusmodi jurantibus judicabit scrutator cordium Deus?

Quæro quintò: An non sint penè innumeri, qui certò quidem persuasum habent, Jansenii Libro tradi doctrinam Hæreticam, sed contra Summorum Pontificum, ipsiusque Ecclesiæ mentem, per illam doctrinam intelligunt doctrinam de Gratia per se efficaci, quàm illi vocitant necessitantem. Ita dicti Libri sensum accipiunt, ita jurant Jesuitæ passim totque alii Molinisticis de Gratia principiis imbuti. Quòd jurent contra mentem Ecclesiæ, ut alia nunc prætercam, mecum sentiunt omnes Gratiæ per se efficacis defensores. Quæro igitur, quâ conscientiâ illi boni viri jurent, & jurando ipsius Ecclesiæ doctrinam apertè condemnare se profiteantur? Quæro quâ conscientiâ ab illis Theologis juramentum exigant Episcopi, illi præsertim qui ipsi Gratiæ per se efficacis sunt propugnatores?

Quæro sextò: Sitne impossibile, eorum aliquos, quibus indubitatum videtur, Jansenii Libro non doceri hæretica dogmata, Formulæ tamen interposito jurejurando subscribere, vel mala temporalia vitandi causâ, vel bona caduca acquirendi Studio? Scitur quid olim tempore persecutionum fecerint multi Christiani. Quot ergo hìc fortè committuntur manifesta perjuria! Hæc omnia dies Domini revelabit.

Quæro septimò : Cum tot sint, ut supra vidimus, circa sensum, quem famosæ 5. Propositiones habeant in Jansenio, tot circa qualitatem assensûs, tot circa ejusdem motivum, opinationes, quarum aliæ aliis diametraliter sunt oppositæ,& quas pro suo quisque beneplacito sibi fingit, & quas proindè non omnes cum vero & genuino Formularii sensu posse convenire certissimum est, quæro, inquam, an Subscribentium permultos non oporteat esse perjuros, dum aliud fortè se condemnare jurant, quàm quod revera condemnandum est, dum aliâ mentis assensione alioque motivo jurant, quàm & exigentium voluntas, & ipsa juramenti natura requirit. Quæro an etiam Subscribentium quàm plurimi non manifestè jurejurando fallant exspectationem eorum qui juramentum exigunt? Jam verò nota est S. Augustini regula epist. 125. nov. edit. aliàs 224. *Perjuri sunt qui servatis verbis exspectationem earum quibus juratum est deceperunt.*

Ex his omnibus manifestum evadit, valde multos subscribendo Formulæ per sancta quæque dejerare, tametsi quid jurent penitùs ignorent; tametsi de Facto circa quod versatur juramentum, non sint omninò certi; tametsi jurent contra mentem exigentium. Liquet etiam, illos eosdem, vel ob nullum, vel certè ob insufficiens, incertum, & non satis cognitum motivum, palam & certò condemnare Catholici Episcopi Librum ab innumeris olim viris Eruditissimis ex omni natione quæ sub cælo est, approbatum.

Patet insuper, eosdem illos jurare temerè & inconsideratè, nihil considerantes, quod seriò

tamen

tamen considerari debere docet Catechismus Rom. p. 3. ad 2. Decal. Præceptum num. 19. Num ad jurandum impellantur *non odio, non amore, aut animi perturbatione aliquâ, sed ipsius rei vi & necessitate.* Et num 26. *Apparet, eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio sed temeritate ad jurandum fertur.* Vocatque ibidem delictum hoc *gravissimum, facinus scelestum ac nefarium.* Constat proinde, penè innumeros esse, qui jurant contra veritatem, justitiam, & judicium. Quot ergo & quanta per Formulæ Subscriptionem designantur crimina!

IX.

Enumerantur alia mala, quæ occasione petitæ passim Subscriptionis Formulæ nascuntur.

PRæter hæc omnia, quis facilè numerabit odia, rancores, detractiones, & contumelias, quæ hujus Subscriptionis occasione committuntur in Ecclesia Dei? Viros non modò doctissimos, sed optimos etiam, quorum laboribus manifestè benedicit Cælum, ob hoc unum, quòd cùm Molinistis opinentur, vel certò credant, Jansenii Libro non tradi nisi doctrinam de Gratia per se efficaci, ideoque jurare cum ejusmodi Molinistis non audeant, se illam doctridoctrinam in Jansenio condemnare, sic tamquam inobedientes, rebelles, Ecclesiæ Perturbatores, Hypocritas ubique locorum traducunt Moliniani eorumque fautores. Alii eos omnes (& novit Deus quantus horum sit numerus) qui

qui cum Janſenii Factum vel penitùs ignorent, vel de illo dubitent, vel erroneè ſibi perſuadeant, ſe Factum iſtud pro indubitato habere, vel hoc Factum reputant certò falſum, & interim fortiter jurant, tamquam perjuros, dejerantes contra veritatem, juſtitiam, & judicium, idque ut hâc funeſtiſſimâ viâ ad Sacros ordines ambitiosè conſcendere, vel curam Animarum conſequi valeant, palam depingunt. Tot Jeſuitas, alioſque Moliniſtas, Formulæ Suſcribentes, quibus exploratum videtur, Janſenii Libro non aliam quàm Gratiæ per ſe efficacis ſtabiliri doctrinam, tamquam contra Eccleſiæ mentem, cum incredibili Acatholicorum ſcandalo, per Sancta Dei Evangelia, ipſam Evangeliorum doctrinam, abjurantes, condemant quotquot Gratiam tuentur per ſe efficacem. Hos omnes, qui difficultatem de ſenſu Janſenii, quæſtionem juris appellant, & ad fidem Divinam revocant *vel ignaros, vel malignos*, appellandos cenſebat Illuſtriſſimus Perefixius Archiepiſcopus Pariſienſis. Cameracenſis inventi aſſeclas vocarunt olim celeberrimi Galliæ Epiſcopi *dogmatis novi inauditi, condemnati per Theologos omnes veteres & novos* procuſores, ac fabricatores doctrinæ *pernicioſæ*, & *omnibus Religionis principiis contrariæ*. Syſthematis Leodienſis propugnatores paſſim deſcribit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Cameracenſis tamquam homines, qui habeant fidem cæcam, docilitatem vagam & politicam, ridiculam ſuperſtitionem, plebeiam credulitatem, commodam docilitatem, & conſopiendæ conſcientiæ ſtudium. Eos verò, qui juxta illud Syſthema Formulæ Subſcriptionem cum juramento exigunt,
dicit

dicit,inconfultò prorfus agere, mentem rationalem cogendo ad id quod ei fit impoffibile,ac tantùm non eos comparare audet *Tyrannis.*

Hoc maledicendi chaos conjunctum habet aliud malefaciendi. Qui de veritate Facti fæpè memorati non habent requifitam certitudinem, eamque, vel defectu fufficientis motivi, aliave de caufa, in tanta opinionum variatione, fe habere poffe negant, divexantur fupra quàm verbis exprimi poffit. Virgines Deo Sacræ, quibus dignus non eft mundus, & hujufmodi rerum prorfus imperitæ (quis mortalium credat!) à Sacramentis arcentur, difperguntur, captivæ detinentur. Viri doctrinâ non minùs quàm pietate confpicui, non fine nota infamiæ contra difertam Innoc. XII. mentem, repelluntur *ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus, ac Concionibus habendis.* Nonnulli etiam à muniis vel Beneficiis jam acquifitis, nullo fervato juris ordine, cum indicibili Ecclefiæ, ac Reipublicæ perturbatione fufpenduntur.

Econtra homines miferi,qui nullâ ratione funt *de femine virorum* illorum per *quos fiat falus in Ifraël,* multis locis infeliciter triumphant,& fuaviter rident, applaudente illis indoctâ, & corruptâ plebe. Hæc porrò defideriis fuis à Deo tradita viros illos alios, quos interim Deus cuftodit tamquam pupillam oculi fui, non modò non audit, fed cæco impetu abrepta innumeris etiam convitiis lapidat. Hocce malorum diluvium quis tandem hominum fiftere, quis valeat vel cognofcere?

His omnibus accedit aliud fub Sole malum, Acatholicorum fcilicet à vera Ecclefia major

D alienat.

alienatio. Sine ambagibus edicunt, quòd Pontifices condemnando doctrinam contentam Libro Jansenii, condemnaverint doctrinam de Gratia per se ipsam efficaci, quæ Augustini est, quæ Pauli est, quæ ipsius Christi doctrina est. Jesuitæ passim & Molinistæ sentiunt cum illis Acatholicis, reverâ Jansenium non docuisse nisi Gratiam ex suâ intrinsecâ virtute efficacem. Quàm terribile scandalum! Debentne igitur Acatholici ita cum tot Molinianis sentientes, & redire forsan ad Ecclesiæ gremium desiderantes, compelli ad ejerandam hanc, quam cum tot Catholicis bonâ fide Jansenii esse putant, de vera Christi Gratia doctrinam totius Orbis reverentiâ consecratam? Si hoc facere renuant, debentne volentes resipiscere, ferociter ab Ecclesiæ Pastoribus repelli? Si etiam repulsi, vel, ut fit, non rogati subscribere Formulari, ad Ecclesiam redeant, debentne excludi ab omnibus officiis, muniis, dignitatibus? Debentne se præparare ad carceres, & exilia perferenda? Deus bone, qualis invitatio ad Fidem veram amplectendam! Vide supra §. 4.

X.

Ex juratis illis Subscriptionibus nihil oritur boni.

AD hæc rogatum velim Lectorem benevolum, perpendere ut dignetur, quòd in diœcesibus, in quibus isthæc Subscriptio passim non exigitur, omnia quoad spinosam hanc controversiam sint pacata, quòdque illic complures Ecclesiastici in Vinea Domini cum ingenti anima-

rum

rum lucro laborent, licet prorsus easdem de hisce rebus habeant opiniones, quas habent alii qui strenuè divexantur. Quas igitur ob causas hi potiùs quàm illi turpiter abjiciuntur?

Precor etiam, ut considerare velit Lector, num ingens aliquod bonum producat frequentata passim Formulæ Subscriptio. Quid boni? An quòd Subscribentes suam aliquam de Gratia sententiam velut erroneam deserant, & aliam quamdam amplectantur? Nihil minùs. Quam quis ante Subscriptionem tenuit sententiam, eamdem tenet post Subscriptionem. Nihil mutat. Suam Molinæ Sectatores, SS. Augustini & Thomæ discipuli suam ubique pergunt tueri sententiam. Sensum quem quinque famosæ propositiones in Jansenio habent, pro suo sibi quisque arbitrio fabricat. Non conveniunt in ullam determinatam doctrinam, quam oporteat sic tamquam Jansenii sensum condemnare. Pugnantes inter se adferunt sensus. Et multi procudunt sensus ab Ecclesiæ sensu alienissimos. Quid ergo boni obtinetur per omnes illas Subscriptiones, per quas nemo sententiam mutat suam, sed aliorum potiùs improbat opinamenta.

Dicet forsan aliquis: Hoc saltem boni provenit ex Subscriptione, quòd eâ ratione ab omni labe hæreseos se purget Subscribens Resp. Qui nullam ante hæresim propugnavit, imò qui de nulla umquam legitimè suspectus fuit, is nullo modo tenetur ab aliqua hæreseos labe sese purgare. Purget se qui sordidus est. Præterea omnino falsum est, quòd adversariorum tela evaserint Subscribentes. Vexantur, ac odioso Jansenistarum nomine traducuntur, tametsi sæpius

(certissima loquor) interposito Juramento signaverint Formularium. Multis aliis è causis hæc maledicendi prurigo nascitur. Audiamus unum testem, Vincentium Contensonium, ex Ordine S. Dominici, Theologum præstantissimum. Is tom.6. lib. 10. diss 11. cap.11. in Reflexione ad speculationem 11. sic loquitur: *Nihil acceptius hominibus verè Christianis esse potest, quàm nuda & pura Christi Sanctorumque doctrina: & tamen si eam liberè prædicaveris, si fucatas modernorum usuras, vel simonias damnaveris: si usum orationis mentalis sæcularibus, vel mortificationis praxim inculcaveris; si ludos mundanos si choreas vituperaveris; si procrastinandam absolutionem procrastinantibus conversionem, vel arcendos ab altaribus qui non se arcent à criminibus dixeris, & verissimè dixeris: si in mulierum colloquiis, Monachorum maximè cum monialibus semper lucrum cessans & damnum emergens inveniri pronuntiaveris, & funestis experientiis comprobaveris, illicò conturbabuntur qui gaudere debuissent languentes hujus sæculi Christiani: illicò turbatæ publicæ pacis reus agêris; & quia pestiferam labem putredinis sub mollium Rectorum indulgentia latentem & liciti prætensâ verisimilitudine tectam aperire, & detegendo sanare studuisti, illicò* Jansenista *Latinè, Italicè* Bacchetone, *Gallicè* Petit colet *audies.* Ita fieri videmus quotidie Fortiter quis opponit se quorumdam hodie Theologorum erroribus, non probet eorum praxim administrandi Sacramenta, mundanas quasdam eorum artes detestetur, is jam diu est Jansenista, præsertim apud illos *qui nihil non audent*, ut in quadam

Episto-

Epiſtola nomine Facultatis Theologicæ ad Summum Pontificem ſcripſit Doctor Steyaert, *quorum intereſt, ut ſemper in Eccleſia ſint Janſeniſtæ, ſemperque hi malè grati ſint apud S. Sedem, qui non per omnia in opiniones eorum concedunt.* Et paucis interjectis addit: *Janſeniſmus nunc, ut cum Politico Romano dicamus, crimen eſt omnium nullum crimen habentium.* Nullum profectò crimen habuerunt Epiſcopi, aliique Viri in Chinenſium Imperio quos Dominicus Navarreta teſtatur, fuiſſe ſpectatæ probitatis, & nihilominus à quibuſdam hominibus traductos velut *Janſeniſtas.* Quid? Quòd ipſe Innocentius XI. qui certò nulli crimini obnoxius erat, depictus fuerit tamquam *Janſeniſta.*

At ſaltem qui ſubſcripſit, non ampliùs vocabitur *Janſeniſta* ob aliquam quam de Gratia Chriſti teneat doctrinam Reſp. Ne hoc quidem verum eſt. Aliquem Subſcribentium poterunt forſan Moliniſtæ ad horam relinquere in pace, vel etiam deſpicere tamquam qui nihil eis mali poſſit aut velit inferre. Sufficiet ipſis, quòd alios quoſdam Theologos ob doctrinam de Gratia per ſe efficaci valeant exagitare, & ob id voce ſtentorea proclamare Hæreticos *Janſeniſtas.* Ita vocitârunt, ac etiamnum vocitare pergunt primarios Scholæ Thomiſticæ Profeſſores, alioſque SS. Auguſtini & Thomæ Diſcipulos, ob id unum, quòd defendant, Gratiam Chriſti, illæsâ tamen hominis libertate, eſſe ab intrinſeco efficacem. Et quicumque hanc ſententiam, quæ ipſius Eccleſiæ eſt, perget tueri, erit ipſis, cùm ita viſum fuerit, & *Janſeniſta*, velit, nolit, & hypocrita, & perjurus, & quid non?

X I.

Examinatur, quandonam liceat, quandonam non liceat exigere juramenta, dum prævidentur inde designanda temeraria juramenta, vel etiam perjuria. Et singulariter inquiritur de promiscua exactione juramenti in Formulam Alexandri VII.

DUbitari non poteſt, quin aliquando juramenta quædam exigere Principi, vel Reipublicæ liceat, tametſi, attentâ hominum inconſtantiâ, aut malitiâ, periculum aliquod ſubſit, ne illâ occaſione nonnulla committantur perjuria. Tunc namque id licet, quando exigendi ratio tanta eſt, ſive ad malum, præſertim publicum, avertendum, ſive ad ejuſmodi bonum procurandum, quod aliâ ratione ſecuriùs obtineri vix queat, ut propterea is qui juramentum exigit, meritò cenſeatur, ſe tantùm permiſſive habere ad quædam deſignanda fortè hac occaſione perjuria, quæ tunc unicè adſcribenda erunt jurantium nequitiæ. Sic poteſt, exempli gratiâ, Princeps à Vaſallis ſuis, à Miniſtris, à Ducibus exercitûs exigere juramentum fidelitatis, licet eorum aliqui fortè ſint pejeraturi. Hoc enim malum permitti jure poteſt ob multa eaque maxima, quæ Princeps inde meritò exſpectat bona. Sic etiam fas eſt, jubente Principe, petere juramentum à promovendis ad Magiſtratum, aliudve

aliudve officium publicum, quo per sancta Dei Evangelia asserunt, se nullis muneribus Magistratum, vel officium illud publicum ambivisse, licet prævideatur, quosdam pejeraturos. In præscribendis hujusmodi juramentis intendit Princeps impedire, ne Officia conferantur indignis, aut certe minùs dignis, præteritis dignioribus, ut pronum est fieri per munerum oblationem, quodque manifestè vergit in perniciem Reipublicæ. Satagit Princeps, ne populus exactionibus, aliisque illicitis emungendæ pecuniæ modis, à Magistratibus Præfectisque suis opprimatur, dum pretium, quod in venandos honores plenâ manu fusum fuit, paulatim iterum cum fænore colligitur. Mens Principis est, ut judices & Magistratus constituantur *Viri potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.* Res igitur gravissima est, & Reipublicæ omnino necessaria, & neminem ad male jurandi necessitatem adigit, nisi qui jam ante ambitiosus in legem Principis graviter impegit, & per malas artes in mentiendi ac pejerandi angustias se ipse ultrò conjecit, qui tamen etiam tunc, abjecto cupiditatum suarum idolo, si vult, potest non jurare.

At verò cum nec hujusmodi rationes habentur, nec similes adsunt circumstantiæ, prorsus illicitum esse solet, juramenta passim exigere, dum hæc nimium eâ ratione multiplicanda, & multa juramenta temeraria præstanda, & non pauca etiam perjuria committenda prævidentur. Ita legimus in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. cap. 97 *Volumus ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque Judex prius vera-*

citer

citer cognoscat, ut eum veritas latere non possit; ne facilè ad Sacramenta veniant. Similiter Synodus Coloniensis celebrata Anno 1536. parte 3. cap 20. reflectens ad multiplicia juramenta in quibusdam Capitulis præstari solita, loquitur in hunc modum: *Cum Christus tam seriò jurandi facilitatem prohibuerit, ut nisi necessitate veritatis alioquin periclitandæ cogamur, omnino non jurare debeamus; coërcenda est illa immoderata in Capitulis juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multi in ancipitia perjuria corruant, quorum non tantùm illi qui pejerant, sed & qui causam perjurii temerè exigendo præstant, rei sunt.*

Audire etiam juvat quid circa alium quemdam casum statuant Principes Christiani l. 2. Capitularium c. 39. *Qui Decimas post creberrimas monitiones & prædicationes dare neglexerint, excommunicentur, juramento verò eos constringi nolumus.* Igitur pœna, quâ nulla datur in Ecclesia major, subditos suos ad solvendas Decimas à Sacerdotibus constringi permittunt, sed vetant eos juramento ad id adigi. Quam ob causam? Audi: *propter periculum perjurii.* Horum omnium rationem tradit Dom. Soto de perjurio art. 3. *Debet præterea*, inquit, *tum usurpatio divini nominis, tum & periculum pejerandi, quod à juramento imminet, magnitudine necessitatis compensari. Id quod tàm ille qui jurat, quàm alter à quo jurare cogetur, tenetur adnimadvertere.* Consuli potest variorum Doctorum Lovaniensium Resolutio super exactione juramenti de non fraudato publico vectigali, data anno 1696. Subscripserunt inter alios

DD.

DD. Steyaert, Harney, & Damen, qui bene observant; quòd ob nimis *nunc multiplicatam juramentorum exactionem & frequentiam, adeo jurisjurandi Religio apud multos deperiit, ut fine ullo penè examine veritatis, utilitatis, vel necessitatis juretur.*

Quantum nunc spectat ad juramentum in Formulam Alexandri VII., certum est, quòd quinque famosas Propositiones oporteat condemnare. Sed has etiam sincero animo, Verbis & Scriptis palam, Theologi qui velut Jansenistæ traducuntur, condemnant, in omni sensu erroneo, quo eas condemnat Ecclesia, & quo easdem condemnare intendit in Libro Cornelii Jansenii. Certè qui eas non sic condemnaverit, huc usque repertus nemo, immò ne legitimè quidem quisquam fuit suspectus. Hinc nullum dari tam diu saltem asserere licebit, donec adversarii servato juris ordine probaverint dari aliquem. At pretiosas lites sustinere, & multis occupationibus distineri oporteret. Ridiculum! Illi boni viri tam divites, tam in seculo potentes, tam in rebus suis promovendis industrii, qui teste D. Steyaert, *nihil non audent, & quorum interest, ut semper in Ecclesia sint Jansenistæ*, illi, inquam, tales per sexaginta & amplius annos parcerent pecuniis, parcerent laboribus, si legitimè probare possent hæreticum Jansenistam aliquem eorum quos post multorum annorum diligens examen Innocentius XII. vocavit *prætensò Jansenistas*? Narrentur ista stipitibus. Quis homo sanæ mentis non inde potiùs colligat, Jansenistarum odioso nomine passim traductos, non reperiri hæreticos, quos dari semper supponunt,

nunt, numquam probant adversarii. Quis non potiùs agnoscat, verum esse quod ad Summum Pontificem scripsit D. Steyaert: *Jansenismus nunc crimen est omnium, nullum crimen habentium.* Et certò nullum hìc crimen habent præcipui Academiæ Lovaniensis Theologi, utpote qui omnes subscripserint antiquo Formulario, quod Alexander VII. ejusque Successores approbarunt, nihil aliud præscribentes ad condemnandam Hæresim Jansenianam. Ex his manifestum evadit, non esse causam compellendi hìc passim Theologos, ut semper à se apertè damnatas hæreses novo damnent juramento.

Adversus eos qui aliquam ex quinque Propositionibus hæreticis apertè propugnarent, vel de eo legitimè suspecti essent, aliter esse procedendum, extra controversiam est. Solummodò cavendum, ne quis contra omnia jura transgrediatur terminos sapientissimè constitutos ab Innocentio XII. in Brevi ad Episcopos Belgii dato 6. Februarii 1696. *Ad extinguenda Theologorum jam pridem inter se excitata dissidia*, inquit Pontifex, *Fraternitatibus Vestris, quantum in Domino possumus, præsentibus nostris Mandatis injungimus, ne ullâ ratione quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi priùs suspectum esse legitimè constiterit aliquam ex his Propositionibus docuisse aut tenuisse.* Ecce *Mandatum* gravissimum Summi Pontificis. Deus novit, quinam illud non observent, quinam rectâ fronte convellant.

Unam dumtaxat notam, ob quam vocari quis posset Jansenista, statuit Pontifex. At hodie

pene

penè innumeras, easque falsas, frivolas, nugatorias excogitavit maledicentia. Id perspexit celeberrimus Clerus Gallicanus, dum anno 1700. in Censura sua tam seriò edixit, se non velle tolerare *importunos ac malevolos homines, qui viris bonis doctisque & Ecclesiasticæ rei studiosis vagam & invidiosam Jansenismi accusationem inferunt, eo quoque nomine, quòd morum corruptelas acriter insectentur; cum nos*, inquiunt Prælati, *pro candore & æquitate Episcopalis ordinis neminem pro suspecto habituri simus, nisi eum qui aut Constitutionibus Apostolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis Propositionibus tueatur: quod etiam ab Antecessoribus nostris sæpe sancitum, & Regiâ auctoritate firmatum, & ab optimo maximoque Pontifice Innocentio XII. applaudente totâ Ecclesia constitutum est.*

Restat, ut dicamus aliquid de exigenda Subscriptione Formulæ Alexandri VII. quatenùs respicere potest *Factum*, quod vocant, sive quatenus is qui simpliciter signandò jurat, ne sit perjurus, debet interius credere, Libro Jansenii, prorsùs ad mentem Auctoris, reverà doceri quinque propositionum Hæreses, ad quas pernoscendas nos ad prædictum Librum remiserint Summi Pontifices. Circa rem hanc considerari precor sequentia.

Primò, ut multa exactioni talis juramenti nihil faventia prætereamus, ut quis Fidei suæ integritatem Orbi Catholico manifestam faciat, satis esse debet, prout semper fuit, quòd omnes Hæreses damnet, idque eodem sensu, iisdemque verbis quibus eas damnat Ecclesia, licet de Facto quodam novo, non revelato, obscuro

non

non eam habeat certitudinem quæ requiritur ad invocandum Deum in testem. Id probatum dedimus supra §. 5 En simile, tametsi quoad multa dissimile. Supponatur Calvinista aliquis velle emittere Professionem Fidei nostræ, & singulariter profiteri realem Christi præsentiam in Eucharistia, sed non velle agnoscere, quòd Calvinus hanc realem præsentiam negaverit. Numquid si redeuntem ambobus brachiis complectetur Ecclesia?

Secundò, nihil ad Fidem, nihil ad mores facit vexata de sensu Jansenii Quæstio. Imò nullius est momenti ista, si in se spectetur, altercatio, sicut nihili faciendum est, sive teneat quis, sive non teneat, Honorium Papam in suis Epistolis docuisse Hæresim Monothelitarum, prout docuisse condemnatus fuit à Sexta Synodo Generali, modò omnem contra mysterium Incarnationis errorem ex animo damnet, ut ibidem ostendimus.

Tertiò, jurare non compelluntur redeuntes ad Ecclesiæ gremium Acatholici, qui circa Libri Janseniani sensum idem prorsus quod prætensè-Jansenistæ judicant & apertè declarant. Censuitne hactenus Ecclesia, illos non posse esse bonos Catholicos, nisi subscribant Formulario? An ab omnibus officiis putavit repellendos? Num in tetrum aliquem carcerem eos detrudendos existimavit? Idque ob hoc unum, quòd cum tot Molinistis (notetur bene) sentirent, Libro Jansenii non aliam præcipuè tradi doctrinam, quàm Gratiæ per se efficacis, prout hanc publicè in Scholis suis quotidie docent SS. Augustini & Thomæ Discipuli, hoc solo discrimine,

mine, quòd hanc Ecclesiæ doctrinam in Jansenio palam condemnent Molinistæ, alii verò isti eam abjurare horrescerent. Vide supra §. 4. & IX sub finem.

Quartò, occasione promiscuæ petitionis dicti juramenti multa perjuria, aliaque gravissima mala committi, nihil verò inde boni provenire, demonstravimus §. 8. 9. & 10. Quæ igitur sufficiens ratio passim exigendi tot juramenta? Observat Catech. Rom. p. 3. ad 3. Præceptum num. 23 solitos fuisse Judæos *de rebus levissimis & nullius momenti* jurare, *& ab aliis jusjurandum exigere. Hunc morem*, infit Catechismus, *Salvator reprehendit aut improbat, docetque à jurejurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas.* Quantò magis improbanda erit *consuetudo* talia *sine necessitate* exigendi juramenta, dum illa *consuetudo* innumera alia secum trahit mala.

Quintò, nullatenus inter Theologos convenit, *qualis* vel sufficiat, vel requiratur in Subscribentibus mentis affectio, qua Libri Janseniani sensus condemnandus sit velut Hæreticus: Hic assensum postulat Fidei Divinæ; ille requiri ac sufficere contendit Fidei humanæ assensum firmum; alius judicium aliquod incertum deprædicat; quidam docet, satis esse opinari; nonnemo tradit, eum qui nullo modo sentit Libro Jansenii doctrinam Hæreticam ad mentem auctoris doceri, non posse quidem licitè jurare, sed tamen perjurum non esse, si jurejurando interposito subscribat. Vide supra §. 5. quis umquam vidit exigi innumera juramenta, ubi non constabat, qua mentis assensione oporteret credere veritatem

ritatem rei, ob quam juramenta exigebantur?

Sextò, inter Theologos acerrimè disputatur, *quale* debeat hìc esse credendi *motivum*. Multis sufficit auctoritas quæ in decidendis ejusmodi Factis novis, obscuris, non revelatis, aliquando posset errare. Sed hanc opinationem funditus evertit Archiepiscopus Cameracensis. Argumentis peremptoriis demonstravit, menti humanæ prorsus impossibile esse, firmiter credere rem aliquam ob auctoritam fallibilem, quando simul adsunt idonea à ratione, & alicunde petita argumenta, quibus res probetur vel dubia, vel etiam certò falsa. *Probabit, noctem esse diem*, inquit contra Theologum Leodiensem, *& montem esse vallem, quando probabit, mentem humanam contra intimam suam evidentiam, vel actualem convictionem posse factum aliquod credere fide certâ ob motivum fallibile, & proinde incertum*. Immò non veretur asserere, quòd si Ecclesia in decidendo ejusmodi nova facta, posset errare, & interim jurare compelleret, id esset procedere modo *Tyrannico*.

Ergo aliud ipse motivum, Ecclesiæ scilicet in hujusmodi Factis decidendis infallibilitatem excogitavit. Dico, excogitavit, nam hocce commentum omnes tum veteres tum recentiores usque ad suscitatas has controversias uno ore constantissimè rejecerunt. Motivum hoc ejus nullo prorsus solido motivo innititur. Id probatum centies. Præcipui Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi scriptis literis & ad Pontificem, & ad Regem apertè dixerunt, dogma illud, esse *novum & inauditum, per Theologos omnes tum veteres, tum recentiores condemnatum*.

Hoc

Hoc saltem longè certissimum est, Cameracensis Archiepiscopi novellàm opinationem unanimi Ecclesiæ consensu nullatenus esse receptam. Quo igitur ille motivo compellet omnes alios in suam hanc ire sententiam? Non possunt tamen, juxta ipsum, assentiri sine sufficienti motivo: atqui plerisque, etiam Subscribentibus, indubitatum est, tale motivum hìc non reperiri. Liquet proinde, quid vel hinc contra ipsum consequatur. Consule supra §. 5. Observari meretur, quòd maxima intercedat differentia inter hæc duo: Facere aliquid quod legitimus superior mandat, aut judex decernit, & credere verum esse quod aut mandat, aut decernit. Facere possumus, & plerumque debemus quod præcipitur, aut statuitur, tametsi non sit, ut interdum fit, motivum sufficiens credendi, verum esse quod injungitur. Sed credere, aliquid verum esse, omninò citra sufficiens motivum nec debet homo, qui ratione suâ rectè utitur, nec potest. Fallere seipsum potest, non potest verè sine motivo assentiri. Sed numquid ex his omnibus Sole meridiano clariùs patet, complures viros, qui hìc cum Molinistis sentiunt, Jansenium scilicet non docuisse nisi Gratiam à se efficacem, destitui motivo sufficienti ad credendum quòd docuerit hæreses? Quam igitur foret durum (Archiepiscopus Cameracensis diceret *Tyrannicum*) eos compellere ad jurandum, quod credere, omnibus argumentis hinc inde consideratis ipsis, esset impossibile!

Septimò, dum adeo multi homines ad jusjurandum adiguntur, scire saltem oportet, *quid* præcisè oporteat eos abjurare. Atqui certissimum

eſt, & ſupra §. 5. demonſtratum, nullatenus inter Theologos Subſcribentes convenire, *quia* determinatè in Janſenii Libro ſit condemnandum. Ipſarum quinque Propoſitionum ſenſus obvius, naturalis, ac hæreticus ſatis apertus eſt. Hunc omnes ſincero animo rejiciunt. Sed de ſenſu quem illæ Propoſitiones habeant in Janſenio, diſſident inter ſe Theologi. Hic fere quot capita, tot ſententiæ. Innumeri Moliniſtæ (quod ſæpe dicendum eſt) ſenſum earum Propoſitionum in Janſenio non alium cenſent eſſe quàm Gratiæ à ſe ipſa efficacis. Quid ergo hic certi, quid eſt determinati? Dum olim quædam interdum Subſcriptio petebatur contra certi auctoris hæreſim, id comprimis eò maximè tendebat, ut ipſa hæreſis condemnaretur; ſenſus etiam auctoris plerumque adeo perſpicuus erat ut ne in dubium quidem vocaretur, multo minùs tot de eo erant ac tantæ controverſiæ. Et nihil certiùs quàm quòd ſaltem ſciretur, *quid* præcisè in tali auctore condemnatum vellet Eccleſia. At in amarulenta, diuturnaque rixa de ſenſu Janſenii quid ſimile? Refert Baronius ad annum 484. quòd jubente Rege Hunerico, Epiſcopis Catholicis *charta oſtenditur involuta*, dictumque eis fuerit: *Si juraveritis ita, ut quod iſta charta continet, faciatis*, Rex *dimittit vos Eccleſiis & domibus veſtris. Ad quod*, pergit Cardinalis, *univerſi Epiſcopi reſponderunt: Semper diximus, & dicimus, & dicturi ſumus: Chriſtiani ſumus, Apoſtolicam fidem unam & veram tenemus*. Hâc Fidei profeſſione editâ, cum Regis miniſtri pergerent Sacramentum ſuper charta involuta exigere: *Tunc*, infit Baronius, *beati*

Viri Hortulanus & Florentianus Episcopi pro omnibus & cum omnibus dixerunt : Numquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat, facilè aut temerè juremus ? Quid censes eruditè lector ? Numquid complures, qui hodie ad condemnandum Janseniani Libri sensum compelluntur, respondere simili fere modo possent : *Semper diximus, & dicimus, & dicturi sumus : Christiani sumus, Apostolicam Fidem unam & veram tenemus.* Sed ingens Liber Jansenii est *involutus*; lectio ejus nobis prohibita est; &, ut legere fas esset, argumenti obscuritas superat captum nostrum; *quis* præcisè sit Libri sensus ab Auctore intentus, Theologi doctissimi inter se acerrimè contendunt; inter Subscribentium diffidia impossibile nobis est scire, *quæ* tandem determinata hæresis eo Libro doceatur : *Numquid animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid Liber contineat, facilè aut temerè juremus ?* Similitudinem adjuvat alia ibidem relata circumstantia, scilicet, quòd tam illi qui juraverant, quàm qui non juraverant, ex æquo divexati fuerint.

Ex his perspici facilè potest, quot & quantæ intercedant discrepantiæ inter casus sub initium hujus §. propositos, quibus licitam probavimus certi juramenti ob ingens Reipublicæ bonum exactionem, tametsi quidam fortè prævideantur, eâ occasione ex pura malitia pejeraturi, & inter casum quo de nunc agitur.

Probatum hìc postea, quòd multis aliis casibus, ob perjuria, quæ meritò timentur committenda, non sit fas exigere passim multa juramenta. Imò ne illo quidam casu, ubi videri

 poterat

poterat adesse gravis exigendi causa, ex. g. ut eâ ratione fideles fortiùs permoverentur ad solvendas, quas certò solvere tenentur, Decimas. Vidimus, quòd Principes Christiani gladio Excommunicationis feriri eos maluerint, quàm Sacramento ad id obstringi. Et hinc colligi non difficulter potest, quòd exigere passim juramenta, multò minùs, varias obtrationes jam deductas, liceat in casu disputato.

Et ut pauca tantùm nunc attingam, disputatur, *qualis* esse debeat mentis assensio, quâ sensum, quem quinque Propositiones habeant in Jansenio, me condemnare profitear: disputatur, *quo* id motivo credere, & jurare debeam; disputatur, *quid* præcisè in vasto illo Episcopi Catholici opere condemnatum velint Summi Pontifices. Nemo de Gratia opinionem mutat suam. Quod Catholicorum pars magna in eo se damnare palam edicunt, id alia orthodoxorum Theologorum pars numero vix inferior, tanquam ipsius Ecclesiæ doctrinam publicè amplectitur. Plerique, inquam, Ludovici Molinæ Sectatores, cum Formulario subscribunt, non aliam se in Jansenio condemnare doctrinam, quàm Gratiæ per se ipsam efficacis disertè agnoscunt. Hanc verò ipsam doctrinam omnes Augustiniani, omnes Dominicani, tot Carmelitæ Discalceati, tot Præmonstratenses, tot alii tum Regulares, tum Seculares Theologi, & firmiter credunt, & universo mundo declarant. Quis umquam vidit causam in Ecclesia huic similem? Ego omnibus litterarum studiosis notum facio, quòd, si quis ostendere valuerit, in casu huic affini exacta passim certis locis fuisse juramenta ab Ordinan-

dinandis, à Graduandis, à promovendis, vel etiam à jam promotis ad Beneficia Ecclesiastica, meis ipse sumptibus, in primario foro Amstelodamensi, ante superbam Domum Civicam curaturus sim tanto viro erigi statuam in præmium eruditionis.

X I I.

Synopsis eorum quæ supra paulò fusius exposita sunt. Simulque ostenditur, quâ demùm ratione queat hìc dari pax rebus Ecclesiæ.

PLacetne modò in Epitomen cogamus quæ paulò fusiùs exposita? Demonstravi, quòd per latus Jansenii, cùm summo Acatholicorum scandalo, ipsius S. Augûstini de Gratia doctrinam impetant Moliniani. Comprobavi, falli eos omnes, vel etiam fallere, qui Gratiam se ipsâ efficacem, ab Ecclesia damnatam esse dictitare non erubescunt. Ob oculos posui, quàm sit res modis omnibus absurda, quòd multi hodie Molinistæ palam jactitare impunè permittantur, certum sibi esse, Jansenii Libro non tradi nisi doctrinam de Gratia per se efficaci, prout à SS. Augustini & Thomæ discipulis passim traditur, & quòd interim Prætensi-Jansenistæ non modò non possint securè idem pro indubitato habere, sed ne permittantur quidem dubitare de eo, quod complures Molinistæ propalam asserunt sibi certò constare. An id non est monstri simile? Facilitandæ Acatholicorum conversioni, & restituendæ paci Ecclesiæ nihil esse conducibi-

 lius

lius exactâ observatione Brevis Innoc. XII. ad Episcopos Belgii constabilivi. Quòd satis esse debeat, omnes, ubicumque reperiantur, hæreses, sincero animo condemnare; quòd insuper nullius ponderis hæc quæstio sit, facilè evici. Ad hæc, invictè probasse me reor, nequaquam inter DD. Theologos, interque ipsos Episcopos convenire, *quis* tandem sit contentiosi Libri sensus ab Auctore intentus; acriter disputari *quid* juramento affirmetur; incertum esse, *qualem* oporteat habere mentis assensionem, ut jurari licitè possit; non minùs dubium esse, quo quis *motivo* debeat ad jurandum induci; indubitatum alicunde esse, nullam è tot pugnantibus inter se de hoc argumento opinationibus, esse unanimi Ecclesiæ consensu receptam. Demonstravi, quàm infundatè dicatur, eos, qui bonâ fide Jansenii Factum criticum vel ignorant, vel de illo Factò dubitant, vel Falsum esse credunt, sententiam suam aut debere, aut semper posse mutare. Ostendi, plurimos reperiri, qui, dum subscribunt, quæcumque teneatur sententia, jurant contra veritatem, aut contra justitiam, aut contra judicium, aut contra omnia, suntque adeo manifestè perjuri; talesque bene multos, attentâ hominum vel ignorantiâ, vel infirmitate, vel malitiâ numquam defuturos. Planum feci, quot & quanta occasione simplicis Subscriptionis Formularii, vel factæ, vel negatæ, committantur temeraria judicia, malesani clamores, insulsa convitia; quantæ præterea inde cum incredibili Ecclesiæ malo excitentur oppressiones & persecutiones contra innocentes Virgines, quas hodie cooperuit umbra mortis, & præcipuè contra

tra viros doctrinâ non minùs quàm integritate morum spectabiles; Evici, quantopere in his turbis exultent, & infeliciter exaltentur multi Ecclesiastici, in quibus nihil minùs reperias quâm cælestem sapientiam, probos mores, ac diuturnam justitiæ observationem. Ad hæc, perspicuum reddidi, quàm terribile per hos omnes motus Acatholicorum conversioni ponatur obstaculum. Patefeci, ex tot juramentis nihil boni oriri. His denique aliisque rationibus comprobavi, nulla justa de causa passim exigi juratam Formulæ Subscriptionem.

Sed quis tandem modus hanc tot malorum deflendam segetem evellendi? Quæ regula tot inter opinationes, quarum alteram altera destruit, & quæ singulæ à suis passim auctoribus mordicus propugnantur, componendi pacem? Quæ methodus sistendi perjuria & illicitas jurationes? Quæ demùm ratio removendi obstaculum horribile, quod hìc ponitur conversioni Acatholicorum? Respondebit forsan aliquis: Meam omnes sequantur opinionem, & tunc pax erit rebus. Sed quo tu jure id ab aliis omnibus postulas? Quid si alius quispiam omnes in suam sententiam velit pariter cogere? Quid si tertius quidam velit omnes ad suum Systhema pertrahere? Quid si quartus, nescio quis alius, contendat, oportere omnes secum sentire? Quid si compellas ad rem exoticam, & humanæ menti ratione suâ benè utenti fortassis impossibilem? Quid si obtrudere velis opinionem novam, & omnibus Theologiæ principiis contrariam? Quâ nobis auctoritate mandas, ut in eam omnes concedant sententiam, quæ certò

ab

ab Ecclesiæ Pastoribus unanimi consensu numquam recepta fuit? An tua unius opinandi ratio aliis omnibus debet esse sentiendi, imò & jurandi regula? An propter adamatam tibi tuam opinationem, ad Subscriptionem eamque juratam compelles vel ipsos ad Ecclesiam fortè redire meditantes Acatholicos, illos etiam, qui cum innumeris Molinistis sentiunt, Jansenii Libro non aliam quàm gratiæ seipsâ efficacis tradi doctrinam?

Illustrissimus Dominus Carolus Mauritius le Tellier Rhemensium Archiepiscopus in quadam Epistola anni 1696. scribit, se, quantum ad particularem suam attinet scientiam, convictum esse, quinque Propositiones continere doctrinam Jansenii Episcopi Iprensis. Attamen, inquit, *persuasum habeo, ridiculum esse, prætendere, quòd cogi possint illi, qui hac in re mecum non sentiunt, ut sicut jus, ita credant & Factum. Possunt ac debent compelli, post omnia quæ de hac re gesta fuerunt, ad silentium religiosum.* Cernis, quòd nullos in suam opinionem jurare cogat Vir Illustrissimus? Quis ergo alius modus tantam malorum irruptionem sistendi? Resp. Jam nunc modum suggessit Archiepiscopus Rhemensis, asserens, debere omnes compelli ad pacificum & religiosum de Facto isto novo & merè critico silentium, quòd SS. Augustini & Thomæ Discipuli semper etiam servarunt, nisi quòd scribere de eo aliquid interdum coacti fuerint, vel ab Adversariis provocati, cur simpliciter subscribere Formulario, & jurare formidarent, vel in aliam sui defensionem, vel ad Ecclesiæ Fidem propugnandam contra Hæreticos dictitan-

dictitantes, quòd Summi Pontifices per Jansenii latus transverberaverint doctrinam S. Augustini de Gratia per se efficaci. Addit idem Illustrissimus Archiepiscopus : SENSUS OBVIUS *Brevium Pontificis* (Innoc. XII.) *est unicum medium finiendi illas controversias, quæ forent æternæ, si sententia eorum, quos Archiepiscopus Mechliniensis protegit in Flandria, haberet locum.*

Sistentur ergo mala, si ab omnibus sincerè & sine ulla restrictione condemnentur quinque famosæ Propositiones, in omni sensu Hæretico, quem in eis condemnare intendit Ecclesia, & in omni prorsus Libro, quo sensus ille hæreticus docetur : si præterea non exigatur passim juramentum ab omnibus, qui nullam hìc causam dederunt, ob quam meritò vocentur in suspicionem hæreseos, sed ab iis solis, qui juxta Breve Innocentii XII. legitimè suspecti fuerint, aliquam ex quinque famosis Propositionibus vel publicè, vel privatim docuisse, qui etiam tunc jure queri non poterunt, à se exigi juramentum, quia servato juris ordine probatum fuerit, quòd hujus exactionis ipsi primò dederint causam. Hâc viâ obviam ibitur gravissimis malis ante enumeratis, quæ alioquin, expensâ rerum obscuritate, consideratâ tot opinionum inter se dissidentium varietate, attentis mortalium præjudiciis, ignorantiis, concupiscentiis, durabunt usque ad diem judicii.

Altercationes veteres resuscitari, & novas variis locis rixas videmus nasci quotidie. De sensu, quem famosæ Propositiones hæreticæ habeant in Jansenio, de judicio firmo aut infirmo quo credere oporteat, Jansenii Libro ad men-

tem.

tem auctoris doceri hæreses, de qualitate motivi, quo ad id credendum, vel etiam ad jurandum, induci necesse sit, deque variis aliis rebus, quilibet fere sentire sibi liberum putat quod libuerit. Et Summorum Pontificum mentem se assecutum facilè credit, & credere perget, dum neque de ea circa quæstiones illas certò inter Theologos constat, neque unanimi Ecclesiæ consensu quidquam hactenus receptum est. In suam alios sententiam cogere nemo particularis jure potest. Nec eo sunt ingenio homines, ut in hujusmodi controversiis jurare velint in verba Auctoris. Non trahi hîc gravi supercilio, sed bonis rationibus superari amat homo liber. Quis igitur erit hocce malorum diluvium reprimendi modus? Lynceo perspicacior sit, qui se hîc oculatiorem putet Illustrissimo Rhemensium Antistiti.

Faxit Deus pacis, ut adeò necessaria, tot votis expetita, per inquietos homines toties turbata pax, Ecclesiæ quantocyùs restituatur

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

APPROBATIO.

Cum hæ *Considerationes circa exactionem formulæ Alexandrinæ*, &c. in pacem Ecclesiæ jam dudum miserè & scandalosè vexatæ piè colliment, & viam eò monstrent convenientem, nihilque contineant fidei Catholicæ vel bonis moribus contrarium, dignæ mihi videntur luce publicâ nec non lectione attentâ. Faxitque misericors Deus ut effectus sequatur intentus, ita animitus opto. Dabam Delphis 5. Januarii 1711.

PAULUS ROSKAM S.T.B.F.
Lib. C.